8

Quod Felix Faustumque sit!

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

ΠΤΑΡΜΟΥ

sive de

STERNUTATIONE,

Quam

In Illustri Argentoratensium Universitate,

Ex Gratioso Permissu

Inclyti Medicinæ Procerum Collegij,

Pro Licentia

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia Doctoralia ritè consequendi,

Eruditorum Solenni atque Publico Examini subjicit

JOHANN. MICHAEL FAUSTIUS,

Argentoratensis.

Ad Diem 30 *Mens. Octob. M. DC. LXXXVIII.*

Horis, locoque solitis.

ARGENTORATI, Literis JOHANNIS PASTORII.

Illustrissimus Boyleus Experimento XXII. Tractatus de Vi Aeris Elastica.

In rerum natura perplurima reperiuntur, quæ quasi vulgaria nimis fastidioso solemus oculo despicere, quorum singula intellectum nostrum exercerent si non plane implicarent, modo non levi contemplatione, sed arrectis, ut decet animis penitus introspiceremus, & data, quam possumus, opera, illorum naturas, ut nobis aliisque satisfieret, explicare conaremur.

Galenus l. 2. de Motu Musculor. c. 5.

Qui evidentibus fidem abrogat, sensus est expers: qui vero de dubiis prompte pronunciat, temerarius est: qui autem propter obscuritatem, quæ in his inest, quæ etiam clara sunt habet suspecta, de numero eorum est, qui dubitationibus oblectantur: porro qui non modo suspecta habet, verum etiam quæ clara sunt, propter obscuritatem dubiorum studet evertere, extreme fatuus est. Ne igitur sponte sensum nobis ipsi adimamus, neque dubitationis æmuli, aut fatui, aut aliud ejusmodi quidvis simus: Sed quod tum rectum est, tum modestis hominibus convenit, quod quidem evidens est, prompte accipiamus: quod autem est dubium, per ocium quæramus.





C. B. D.



B Hippocrate Coo, Duce Artis nostræ certissimo, cujus dogmata sunt prorsus irrefragabilia, ceu testimonium habentia à sanissima ratione & certissima experientia, sunt nobis scribendi capienda primordia. Qui librum *de Flatibus*, à Medicinæ præstantia, & Hujus difficultate, exorsus est, & ex Hujus incommodis, quantam Medicus animo molestiam capiat, ostendit: Ὁ μὲν γὰρ Ιητρὸς ὁρέει τὰ δεινὰ, θιγγάνει τε ἀηδέων, καὶ ἐπ' ἀλλοτρίῃσι ξυμφορῇσιν ἰδίας καρποῦται λύπας. Οἱ δὲ νοσέοντες ἀπαλλάσσονται τῶν μεγίστων κακῶν διὰ τὴν τέχνην, νόσων, πόνων, λύπης, θανάτου. Πᾶσι γὰρ τουτέοισιν ἄντικρυς Ιητρικὴ εὑρίσκεται ἀκεστορίς. Ταύτης δὲ τῆς τέχνης τὰ μὲν φλαῦρα χαλεπὸν γνῶναι. 1.

§. Quæ, *l. c. t. 3.* est πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις: 2.
ablatio quidem τῶν ὑπερβαλλόντων; adpositio vero τῶν ἐλλειπόντων. Quæcunque itaque Ars Medica eorum quæ excedunt aufert, quæ vero deficiunt adponit: ἡ φύσις αὐτομάτη ταῦτα ἐπίσταται: Natura eadem sua sponte novit: *l. 1. de Diata t. 14.* Quasi dicat: Ars quid facere debeat, nisi Naturæ indicio non novit. Hæc sola δηλοῖ τοῖσι τὰ τῆς τέχνης εἰδόσιν ἃ ποιητέα: demonstrat Artis peritis, quæ facienda sunt: *l. de Arte, t. 22.* Hæc, Arti nostræ non modo ad imitandum proposita, sed & ad imperandum præposita, atque monstratrix agendorum est optima. Qua repugnante, Medicina nihil proficit: *Celsus l. 3. c. 1.* Sive Natura est vis, quæ ex se ipsa movetur, ut, in *Definitionibus Galeno adscriptis*, notatum.

§. Hac vi, inquit *Th. Erastus*, acerrimo Vir ingenio, in *Disp. de Convulʃ. th. 106*, distribuitur alimentum, vacuantur singularum partium excrementa, moventur in singultu & vomitu ventriculi tunicæ, efficiuntur 3.

 crises,

crises, diarrhœa, mensium purgationes, aliæque similes excretiones. Nec alia est virtus, quæ per rigores corpus tanta vi quatit, quæ sternutationes ciet, quæ destillationes & reliquas fluxiones concitat, quæ pulsus cordis & arteriarum producit, &c. Hac facultate cerebrum spoliare non possumus, cur enim quod omnibus aliis partibus concessum est, cerebro, parti principi, negatum putemus.
4. §. Cerebrum curiæ regalis & judicialis sedis nomine venit: Mens dominatur & rerum potitur: Ut quicquid cæteris subjectis corporis partibus accidat, cerebro, inque eo dominanti menti, sit offerendum, quod oblatum, recipit, receptum percipit, perceptum judicat, ut motio tandem inde sequatur.
5. §. De motu cerebri est dubium, de qualitate vero maximum, & quidem geminum: Unum an sit ipsius substantiæ cerebri? an vero membranarum ejus? Alterum, an sit substantiæ vel membranarum per se? an per accidens? seu quatenus innexas habent arterias: Nam de hoc quoque, quoad membranas dubitasse veteres scribit *Galenus l. 4. de Diff. Pulf. c. ij.*
6. §. Cerebrum movetur ex se & sua sponte, secundum *Fernelium l. 6. Physiol. c. 13.* Ita *Bauhinus, Riolanus, Mercatus, Sennertus,* & *Plempius,* citante *Diemerbrœck. l. 3. Anat. c. 5.* Ita *Vallesius, Controverf. Med. & Philosoph. l. 2. c. 26.* & alii. Cerebrum non per se, sed per accidens movetur, sequiturque exactissime motum arteriarum: *Diemerbrœck. l. c. Cl. Bohnius, Progymn. 20. Circul. Anatom.* Consentit *Ioh. Baptist. du Hamel. l. 3. de Corp. Anim. c. 5. Raymund. Vieussens. l. 1. Neurograph. Univerf. c. 6.* Membranas cerebri & cerebrum ipsum intus sub cranio privatim motari, negavit *Excell. Schneiderus l. de Osse Cribriform. p. 449.* Et, *l. de Catarrh. Specialiss. p. 293.* Ingeniosissimus *Willis c. 6. & 9. Cerebri Anat.* Recessit ab his *Mayovv,* Anglus, *Oper. Med. Phys.* p. 331, Quem vide. Ab hoc *Fr. Glissonius, Tract. de Ventr. & Intest. p. 183.*
7. §. Si quæris quid ego sentiam? mei judicii esse statuo nihil: Memor istius *Ciceronis*: Cavendum est, ne his rebus temere assentiamus; ne facile aliquando in aliam sententiam discessurus sim, quod minatur *Diemerbrœck l. c. Highmoro,* Medico theorico insigni, & Physico præclaro.
8. §. Oriuntur è cerebro Nervi. De horum structura & progressu videatur *Baptist. du Hamel. l. 4. de Corp. Anim. c. 12.* De fibrillis nerveis innumerabilibus primi paris in membranam quæ inte-

interiorem narium cavitatem succingit, Ejusdem *l.* 2. *c.* 3. Quibus, quod præcipuum est, manifestam & humore scatentem concessit cavitatem *l.* 4. *c.* 2. Et his fibris à dura matre oriundis, cum nervulis à tertio pari, quod nobis est quintum, prognatis, os ethmoides sic occludi statuit, ut nullum excrementis cerebri, aut liquori ulli, transitum præbeat: *l.* 2. *c.* 3. Magno hinc argumento, tunicam narium tam exquisitum sensum ab illis fibris mutuari. *ibidem.*
§. Sed, quantum ponderis his insit, excutiendum jam non sumo. 9.
Per nos valeant, saltem in quantum pro nobis faciunt. §. Inter 10.
fibras & nervos distinxit supralaudatus *Schneiderus l. de Spasm. Natur. & Subj. tract.* 3. *c.* 9: Fibræ & nervi oppido differunt, sane quam mendose à nonnullis confunduntur, quos sileo, autores magis laudare, quam vituperare paratus. Nec nisi inepte fibræ cognominantur nervosæ &c. §. Sed hæc, *Vir Clarissime*, impedire 11.
non debent, quo minus fibras vocemus quæcunque filamenta subtilia & alba, quæ adinstar ac vice staminum densius aut rarius per partes sunt dispositæ, & quia consuetudo, quæ, ut cum *Curtio* loquamur, diluit crimen, nos jubet fibras dicere, dicamus. Nobis consentit *Willis. c.* 19. *Cerebr. Anat.* quem vide. §. *Iste, l. c. paragr.* 12.
ult: In eo pudendo errore versatur *Willis*, quo nervum opinatur esse subjectum spasmi, eumque aut contrahere tam pertinaciter, aut agitare tam vehementer musculos, ac hinc artus ipsos. Sed *tract. cit. c.* 8. illæ musculi partes, quæ plurimum faciunt ad contractionem voluntariam & hinc naturalem, sunt principes sedes spasmorum, ut fibræ, & tendo, ad quem pertinet aliquando ligamentum. §. Verum, evolve *Willisii caput* 6. *de Morb. Convuls.* & 13.
c. 21. *de Nervor. Descript. Exercit. de Mot. Muscul. p. m.* 686. & ne ullus scrupulus Tibi supersit, *c.* 1. *de Morb. Convulsiv*: Quæ apud Antiquos diu celebris increbuit opinio, affectionem hanc, scil. spasmum, tantum à repletione, aut inanitione, produci, (utcunq; huic stabiliendæ præter autoritatem *Hippocratis*, proferatur exemplum de corio, aut fidium nervis, qui aut madido aëre impleti, aut nimis sicco inaniti contrahi solent.) facile ex se concidit, quia supponere videtur, (id quod nemini fragilitatem nervi experto credibile esse potest) nimirum ipsos nervos, quoquo modo abbreviatos atque contractos, posse vi quadam musculos ad se attrahere.

§. Quid

14. §. Quid hoc aliud? quam nervi corpus contrahi non esse aptum, ob exilem tenuitatem, qua corpora crassa secum non rapit & attrahit; ut *Schneiderus* ait *tract.* 3. *c.* 2. Quomodo vero Contractio Musculi fiat, *Exercit. de Mot. Musc. p. m.* 678. *Willis* docet. *Schneiderus* motionem voluntariam per facultates *tract.* 3. *c.* 9. *circa fin.*
15. explicat. §. Itaque, non ita temerè, *Vir Clarissime*, in D. *Willis*, dicereque, quemadmodum nova haud hæc (*Willisii*) opinio est, ita assensum nostrum haud meretur. Quid? autor solita peccat, utens verbis insolitis, alienisque, ob quæ tanto dignius reprobatur; *Tract.* 4. *c.* 11. An vero Tua non sit antiquior altera, judicandum
16. aliis relinquo. §. Equidem *Hippocrates S.* 6. *Aph.* 39. dixit: Convulsio fit aut à repletione aut evacuatione. Sed & *l. de Cap. Vuln. t.* 26: Si quis in sinistra parte capitis ulcus habeat, illum in dextra corporis parte convulsio corripit & vice versa. Et *l.* 1. *de Morb. t.* 3: Si nervus dissectus fuerit, convulsionem facit, & ut dissectus neque coalescat, & fortiter inflammetur. *Aph.* 2. *Sect.* 5: Ex vulnere convulsio lethalis est. adde *Hollerii* commentarium.
17. §. Ergo Spasmus non tam à repletione aut inanitione, quam ab irritatione, secundum nostrum Hippocratem. A qua irritatione, tanquam causa solitaria, aliquando quidam spasmi oriuntur & producuntur: *Willis c.* 1. *de Morb. Convulsiv.* Hinc non video quid magis dixerit *Idem*, quam quod virtutem quandam explosivam in motu musculorum supposuerit. De qua, in *Exercit. de Motu Muscul. p. m.* 684. Verum, quantum circa hanc sententiam hæsitaverit *Willis*, demonstravit *Cl. Bohnius l. c. progymn.* 19. Alias difficultates movet *Mayovv. de Motu Musc. c.* 1. *Baptist. du Hamel l.* 4. *de Corp. Animal. c.* 3. *Qui Cl. Lovverum* huic opinioni contradicentem allegat.
18. §. Convulsionem seu spasmum esse nervorum pravam affectionem, qui à nimia ariditate, aut superflua humectatione decurtantur, & tunc musculos, in quibus ramificantur, violenter contrahendo, inflectunt, vel dilatant articulos, quibus annectantur, ut sententiam merito antiquatam, cum ab experientia & ratione evidentissime refutetur, proclamat *Ioh. Alphons. Borellus Neapolitanus, Part.* II. *de Motu Animal.* C. XX. *Propos.* CCXII: Quia nunquam nervi arefacti exiccatique visi sunt &c. *Schneiderus l. c. tract.* 4. *c.* 1. Opinio hæc est oblivione obruenda, ac ejus fautores nimii, sunt

loris

loris operiendi. §. Sed, putamus ne, *Galenum*, Virũ, ingenio acutissimo, quo pollebat, Asiatico, Pontificem illum maximum Medicorum, sicut Scaligero nominatur, nervos exsiccatos & arefactos in corpore vivo, Sibi imaginari potuisse: Non sane: Non potest excogitari major siccitas, quam quæ, in tabidis & marasmo confectis, accidit, in quibus, ut dicebat *Galenus l. 1. de Diff. Febrium c. 9.* nihil fere remanet, nisi cutis & ossa, & non convelluntur, & convelli deberent, si ex siccitate nimia invivente fieri posset hæc nervorum decurtatio & convulsio. 19.

§. *Avicenna l. 3. Fen. 2. tract. 1. c. 5.* per siccitatem, privationem materiei, & humiditatis & dominium siccitatis, intellexit. Non privationem puram seu simplicem, qua totaliter corrumpitur habitus, ut cæcitas aut mors, sed privationem commixtam, cum habitu, quæ non totaliter removet habitum, sed est via ad ejus corruptionem, sicut ægritudo est privatio sanitatis, & ab ista datur regressus ad habitum. 20.

§. Similitudine de chordis plerumque, aut de loris, usus fuit Veneranda Antiquitas, non quod inter chordam, vel loram, & nervum, nulla intercederet varietas, & hoc simile sit ἀπαράλλακτον, sed quod saltem secundum magis & minus sit convenientia: ἐν ῷ μᾶλλον καὶ ἧττον, ut loquitur *Galenus c. 1. in lib. Hipp. de iis quæ in Med. t. 4. fiunt.* 21.

§. Vide *Borelli* propositionem sequenté. *L. c. C. III. Propos. XXIV, C. XX. Propos. CCXIII.* Colligemus *illius* hypotheses: 1. Nervus ex fibris constat. 2. inter fibras sunt interstitia non impedita: *l. c. C. XI. Propos. CLIX. & CLXII.* 3. in interstitiis est succus nerveus, nutritius, dulcissimus, soporiferus: *l. c. C. XI. Propos. CLXV.* 4. in fibris seu spongiosis tubulis vero, succus spirituosus seu locomotivus, quo fibræ turgent: *l. c. C. XI. Propos. CLXII.* Quique spiritus, quoad temperiem & energiam operandi, sunt acres, sulphurei, salinique activissimi: ut spiritus vini, *l. c. C. XI. Propos. CLVIII.* & fermentativi, *CLXII.* Qui ab eorum nervorum extremis orificiis exprimi & eructari possunt: *l. c. Propos. CLVII.* Intra sanguinem musculis contentum: *l. c. C. XX. Propos. CCXIII.* Unde ebullitio & displosio, qua musculus contrahitur & tenditur: *l. c. C. XI. Propos. CLVII.* Ut vero contrahatur & tendatur musculus, requiritur, ut concussio quædam convulsiva, facta à motu imperii voluntatis, in cerebro fiat: *l. c. Propos. CLXII.* Diffusio vero succi nutritii spirituosi, fit ab ebullitione 22.

litione quadam ejuſdem in cerebro, ex cujus effervelcentia, rarefactione, & circumvolutione, ſubſequitur obſtructio orificiorum ferè omnium tubulorum fibrarum nervoſarum in cerebro hiantium, non interſtitiorum, (quare? quia hæc irrigatio lenis dulcis & non mordicans, inepta eſt ad convulſivam illam irritationem faciendam, & ideo non exprimetur ſuccus in ſpongioſis tubulis contentus *l. c.*) unde tempore ſomni maxime nutrimur & tamen ceſſat muſculorum motus *l. c.* Denique ad diſploſionem continuatam efficiendam quantum ſufficiat, vide *l. c. CXX. Propoſ. CCXIII.*

23. §. *Th. Bartholinus* vero inſignis Anatomicus, *in Spicileg. de Vaſ. Lymph. c. 3.* Succus nutritius craſſior eſt, quam ut exiles fibrarum poros pervadat: Reapſe nihil ſucci per impervios nervos permeare, indubiã ſenſus fidẽ facit. *Vieuſſens l. 13. c. 1.* Nevrograph: Nullam in corporis humani nervis manifeſtam cavitatem hactenus detegere potuimus, quam ob rem ipſos inſenſibilibus tantum meatibus præditos eſſe aſſerimus. Porro quid in hoc *Borelli* dogmate *Cl. Bohnius* deſideret, vide *Progymn. 19. 29. Circul-Anat. Steno in Myolog. ſpecim. p. 83.* de fluido muſculi, quam incerta, quam nulla ſit noſtra cogni-

24. tio, docet. Alia diſcurſui reſervabimus. §. Hîc merito Venerandæ Antiquitati addictus exclamare poſſet: ἐξαπατῆται ϗ ἐξαπατᾶται: Fallitur & fallit, ut de iis ajebat *Hippocrates l. de Veter. Med. t. 3.* qui rejecta Veteri & bene conſtituta Medicina novam

25. cudere conabantur. §. Noſtrum *Ejuſdem Stenonis* Viri ſubtiliſſimi & Anatomici erit judicium *l. de Muſcul. & Glandul. p. 21.* Temerarii eſſemus ſi hic noſtrum interponeremus arbitrium: quare de cauſis modisque non liquere aperte pronunciamus. confer *Gualth. Needham de Form. Fœt. p. m. 159. Iacob de Back diſſert. de Corde c. 2.*

26. *ſect. 1.* §. Convulſio in totum non eſt, niſi ea quæ in ſolis accidit muſculis: ſive convulſionem, cujus proprium ſymptoma eſt depravatus motus, eſſe paſſionem muſculorum, dixit *Galenus*. Quia *Valleſius l. 4. Controverſ. Med. & Philoſoph. c. 4.* nullus nervus qui in muſculum non inſeritur, habet motum. Nihilominus tamen *l. 2. c. 24.* iſtos qui diſtributi ſunt in carnoſam frontis cutem, frontem movere, ſine muſculis, affirmavit: quanquam hæc ipſa cutis, qua parte habet carneas fibras eſt revera muſculus. Sic *Galenus l. 12. Meth. Med.* quatuor cauſas convulſionis eſſe dixit, inanitionem

reple-

repletionem, & humorem mordentem, & frigus. *lib. vero* 8. *de Compos. Med. Secund. Loc.* Ego vero in convulsione, tertiam aliquam causam, supra evacuationem & repletionem nondum reperi. §. Quæ loca inter se minime repugnant, sed diversimode tantum 27.
accipiuntur. Itaque, ex his, quæ à nobis hactenus prolata sunt, patet, sternutationem esse motum quendam convulsivum, à causa externa internave excitatum quantitate vel qualitate peccante & quia membrana narium interior fibris tendineis sive nervosis tanquam partibus musculi essentialibus conflata est, musculum seu expansionem musculosam dicere, haud absurdum erit. §. Cu- 28.
jus officium, non tantum ut interiorem narium cavitatem tegat, sed & si opus moveatur expellatque noxia, perpetuo aliàs natura quiesceret, nisi irritaretur, quæ irritatio supponit perceptionem & appetitum, ut de novo fibra excitetur. Mens percipit, grata appetit, ingrata fugit, abhorret à noxio, & quantitate qualitateve molesto, illudque quantum potest contractione removet, sibi, admirabili potius, quam explicabili ratione, viam invenit. §. Egre- 29.
gie Romanæ facundiæ Parens *Tullius Tusc. Quæst. l.* 1. de Perceptione in mente, scribit. Receptio vero: quatenus, ab objecto inæquali, improportionato, motus impressus, nervosis partibus ac spiritibus animalibus menti occasionem dat, cogitationem seu ideam e. g. doloris producendi: quæ cogitatio jam est doloris cognitio, h. e. homo sentit dolorē, & scit se sentire dolorem, imò sentire est judicare hoc loco, nam, qui dicit dolere, dicit apprehendere objectum, tanquam noxium & infensum, quod non est aliud quam judicare. Dico hoc loco, quia perceptio aliquando est nuda, hoc est sine judicatione, quemadmodum in infantibus, pueris, adultioribus etiam imprudentioribus, brutorum fere more in oblatam rem, vix perceptam, illico, præcipiti studio quasi ruentibus, quotidiana docet experientia. In nobis omnibus: ventriculus nobis non cogitantibus corrugatione sive constrictione, sibi, non nobis, expellit molesta. Imo, qui ex *Averrhoe* separatricem aliquam facultatem dari contendunt, distinctam, ab attractrice, retentrice, concoctrice, seu alteratrice & expultrice, hi inquam ventriculo aliisque partibus electionem concedunt. Quæ altrix, species est facultatis vegetativæ, hæc potentiæ activæ animatis propriæ. Quæ potentia

activa δύναμις τῦ ποιῆσαι ἡ δύναμις ἡ πρώτη dici ſolet, & ſub ſe facultatem ſenſitivam rationalemve habet, illa ſenſitiva facultas generalis in ſenſum, appetitum, locomotivam facultatem, dividitur.
30. §. Unde, ut, in ſternutatione, membrana narium interior, moveatur, præter irritationem & hujus ſenſum, hoc eſt mentis perceptionem, etiam ejus, ad iſtam movendam, voluntas, licet expellat,
31. requiritur. §. Dico homo ſcit ſe ſentire dolorem. Scire enim dicitur tribus modis: id eſt, vel ut cognitione univerſali, vel ut propria, vel ut actu & operatione, quare etiam decipi dicitur tot modis, *Philoſophus Analyt. Prior. l. 2. c. 21.* Homo ita ſentit in ſenſatione dolorem, ut non decipi poſſit, quia objectum proprium, ſub propria & non aliena χέσει apprehendit & percipit. Dico, ſentire dolorem, quia hoc objectum eſt ex iis quæ ſub ſenſum cadunt, nihil vero à ſenſu abſens, cognoſcimus, ſecundum *Philoſophum l. c.* Deinde dolor & voluptas eſt ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ in parte concupiſcibili τῆς ψυχῆς *l. 4. Top. c. 5.* Vel, cum dolore ſemper cupiditas conjuncta eſt, tametſi abſurdum videatur, propter voluptatem, dolore affici: *l. 3. de Morib. ad Nicomach. c. 14. & Rhetoric. l. 1. c. 11.* Non vero in ſeparatione partium conjunctarum, quia hæc διάστασις eſt ποιητικὸν ἀλγηδόνΘ, effectivum doloris: *l. 6. Top. c. 6.* Non ergo ſeparatio & dolor natura ſimul ſunt, etſi in plerisque πρός τι hoc verum eſſe *Philoſophus l. Categ. c. 7.* demonſtrat: Nam ſenſile, prius ſenſu videtur eſſe, ſenſile enim ſublatum, ſimul tollit ſenſum: ſenſus vero ſublatus, ſenſile ſimul non tollit: Sic ſcibile prius eſt quam ſcientia, quia plerumque cum res antea exſtiterint, earum ſcientias nanciſcimur. Præterea ſcibile ſublatum, ſimul tollit ſcientiam: Scientia vero ſublata, rem ſcibilem ſimul non tollit, quia niſi ſit ſcibile, non eſt ſcientia, ſi tamen ſcientia non ſit: nihil prohibet ſcibile eſſe. Dico dolorem eſſe inconcupiſcibili, ergo non poteſt eſſe voluntas quædam, quia voluntas eſt facultas libere eligendi aliquid vel fugiendi, ſimulque appetitum ſenſitivum moderandi: πᾶσα βέλησις ἐν τῷ λογιστικῷ in ratiocina-
32. tiva eſt *l. 4. Top. c. 5.* §. Unde, expulſio humoris, à cauſa violenta, in ſternutatione hominis, non eſt libera animæ rationalis electio; atque ſic etiam differentia, inter facultatem ſenſitivam rationalemve, quam circa finem theſeos præcedentis, poſuimus, patet.

Hæc

§. Hæc secundum Philos. Aliis displicent, vide vero *Fr. Baconem de Verulamio Vicecomitem Sancti Albani de Dignitate & Augmentis Scientiarum ad Regem suum l. 7. c. 3.* Nobis, hæc non plane constant, facile tamen speramus, veniam impetratura, apud eum, cui in mentem venerit illud *Horatianum*: Non scire fas est omnia. 33.
§. Sed his missis, ne in immensum excrescat Disputatio nostra, neque iis denuo involvamur subtilitatibus, quas alii ineptiarum, aut futilitatum loco reputant, ad membranam narium revertimur. Ea irritatur in sternutatione ab objecto. Hinc quidquid istam vel premit, vel vellicat, sensumq; movere valet, stimulum esse dicimus, dummodo sit extraneum quidpiam, gravans, vel lancinans, vel pungens, attrectansve, secans, vel divellens, vel exasperans, mordicans, perforans, atque distendens, irritans, vellicans, erodens, aperiens, incidens, præcidens, impellens, contundens, frangens, rumpens, collidens. Ob particulas frigidas, pituitosas, tenaces, viscidas sive lentas. Vel ob calidas, biliosas, sulphureas, oleosas. Sive ob ichorosas, salinas, lixiviosas, urinosas, acres, mordaces, corrosivas. Sive ob melancholicas, terrestres, crassas, fixas, acerbas, austeras, acidas. Rigidas, ramosas, striatas, spiculatas, aculeatas, hispidas, ruderosas, hamatas, serratas, cuspidatas, sagittatas, triangulares, quadrangulares, & si quæ his similia nomina excogitare velis mille. 34.
§. Dividuntur quæ hanc membranam irritant, in externa & interna. Externa sunt odores fortes, graviores, acriores, ut raphani rusticani, ceparum & similium; medicamenta inspirata, propter suam vellicationem, & hanc insequentem sternutationem, sternutatoria dicta, v. g. helleborus, piper, & quæ sunt alia, de quibus infra. Internorum imprimis sunt humores acres, biliosi, calidi, ichorosi, qui tenuitate sua & impetu quem habent, inter fibrillas subito se possunt trudere, sejungere atque divellere. Non sunt excludendi humores, pituitosi, quamvis minus molestè, tardiusque afficiant ea quæ dura non sunt, & acerbitatis, austeritatis, aciditatis, salsedinis, amarulentiæ atque acredinis, sunt expertia, ut insipida pituita, quæ potius quantitate quam qualitate offendit. Nihilominus tamen sæpius ipsa pituita acribus humoribus est permixta, quæ, quocunque proruperit, maxime in non consuetos locos, eos exulcerat: *Hipp. l. de Flat. t. 16.* Et *t. 17.* 35.

θειμὺ δὲ ὂν τὸ φλέγμα προσπίπτοντι τῇ σαρκὶ, ἑλκοῖ καὶ ἀναῤῥηγνύει τὰς φλέβας. Hoc ſenſu & iſte intelligendus eſt Aphoriſmus Pathologicus *de Affection. t.35*: Lepra & pruritus & ſcabies, & impetigenes, & vitiligo, & alopeciæ, ὑπὸ φλέγματος γίνονται, à pituita
36. fiunt. §. Sive dividuntur in ſtimulos ſimplices vacuantes ſine fermento & cum fermento, ſine fermento, ut aliquid affrictum naribus ſternutationem movens, e.g. feſtuca, penna, pilus, aut titillatio, quæ fit palea, panis vel alterius rei mica, vini vel cujuſvis alieni liquoris ſtilla, radii ſolis, ambientis aëris calida, ſiccaque temperies, Frigidum valde, venas rumpit, & tuſſim movet, velut nix, glacies, *Hipp. Epid. 6. Sect. 3.* Tuſſes cœperunt circa ſolſtitia hyberna, decimaquinta aut vigeſima die, ex frequenti Auſtralium & Aquilonarium ac nivoſorum transmutatione, *l.c. Sect. 7.* Inſuper evolve *Sect. 3. Aph. 5. 11. 12. 13. 14. 17. 23.* Rationem reddit *Porphyrius de Antro Nymph. p-m. 265.* βορέας γὰρ πήγνυσι ψυχρότερος ὤν. *Holſtenius* interpres: Hujus enim aura congelat conſtringitque, eo quod frigidior: ὁ δὲ τοῦ νότου διαλύει θερμότερος ὤν, contra Auſtri flatus diſ-
37. ſolvit, quia calidior eſt. §. Verum quod hoc non generaliter de omnibus locis intelligendum ſit, docet *Varenius l. 1. Geograph.*
38. *General. c. 20. Propoſ. 16.* §. Pergit *Porphyrius p. 266*: Moribundos Boreæ aura afflans refocillat, & ægre animam trahentes: Auſtrum vero Diis attribuentes, mero meridie in templis Deorum παραπετάσματα ἕλκουσι, interpres, cortinas reducunt. §. Neque adeo ſa-
39. lubris eſt, quin noceat Aquilo: *Celſus l. 2. c. 1.* Auſter aures hebetat, ſenſus tardat, capitis dolorem movet, alvum ſolvit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum. §. Non tantum frigus conſtipat & humores intro cogit, ſed & frigidum mordax eſt, concedet autem hoc facile, frigidas qui peragrarit plagas, vel gelidas anguſtasque montium fauces perambularit: evolve *Aph. 17.*
40. *Sect.* allegatæ. §. Ad ſtimulos ſine fermento, pertinent narium ulcera, quatenus membrana à materia acri divellitur. Pilorum naſi evulſiones ſubitæ & vehementes. Denique quæcunque membranæ narium fortius adhærent, dum ab iſta ſejunguntur,
41. dolorem pariunt. §. Cum fermento, hoc eſt, ſi cum ſtimulo conjuncta eſt facultas aliqua, ut loqui amant, intropenetrans, & hu-

mores

mores subigens, ut si quid ab odoro corpore exspiret, quod villos subeat, erit stimulus cum fermento: Verum de his, infra nobis erit loquendum. §. *Cicero* dolorem motum asperum in corpore, alienum à sensibus, appellavit, qui rem acrem & solutricem agnoscit. Hinc morbus insoluta unitate, cujus subjectum adæquatum est membrana narium, quod probatur: quia à materia acri & erodente eroduntur, à sanguine abundanti aperiuntur, ab ictu violento aliquando leviori vasa sanguiflua in nares desinentia rumpuntur: à qua ruptione, erosione, apertione, ῥινῶν αἱμοῤῥαγία, sanguinis è naribus profluvium, sæpius oritur. In Ozæna sive ulcere narium putrido, est exulceratio externa, sæpius interna, plerumque maligna, à materia acri & corrosiva virulenta. In Coryza irritatur, vellicatur membrana narium, dislocantur fibræ, unde sternutatio. Ergo membrana narium, ut pars similaris ita dicta, est verum & adæquatum morborum insoluta unitate subjectum. 43.

§. Objicitur ex Argenterio, Morbus est dispositio præter naturam, morbus in soluta unitate non est dispositio, quia continuitatis privatio: Ergo non habet morbi rationem. Ergo membrana narium non hujus morbi subjectum. Porro, solutio continuitatis est unitatis privatio. Ergo non habet unitatem positivam, in qua stet ratio morbi pro materiali. 44.

§. Respondetur: Morbum esse διάθεσιν sive dispositionem contra naturam, à qua primum & per se vitiatur actio, autore *Galeno*, certum est. Sed, uti Habitus sumitur late atq; stricte, ita quoque Dispositio. Hæc in communi, secundum *Philosophum Categor. c. 8.* ποιότης seu qualitas est, non per quam potentes dicimur, à natura, vel agere vel pati quippiam, vel esse tales, vel tales, sed per quam tales & tales sumus. Quæ ἐπὶ πλέον λέγεται, i. e. in plus dicitur, quam habitus, & hunc sub se περιέχει seu continet, & καθόλου μᾶλλον, πᾶσα γὰρ ἕξις διάθεσις, οὐδὲ πᾶσα διάθεσις ἕξις: Dispositio est magis universalis: omnis enim habitus est dispositio, sed non omnis dispositio est habitus, intellige dispositionem in specie sic dictam. Illius in communi sumptæ, species aut quasi species sunt duæ, habitus & dispositio specialiter sic dicta. Nam dispositio est vel habitualis, vel non habitualis, vel non facile vel facile mobilis: illa ἕξις, hæc διάθεσις dicitur. De Habitu sic scribit *Doctiss. Ebelius l. 1 Compend. Log. Plen.* 45.

p.m. 26: Habitus est qualitas utplurimum acquisita & permanens, vel stabilis in subjecto, illudque ad bene vel male hoc vel illo modo agendum, disponens. Unde rectissime *Fr. Joel quondam in Academia Gryphis Waldensi Professor Celeberrimus l.3. Oper. Med. sect. 2. p.m. 66.* scripsit: διάθεσις *Galeno* significat idem quod ἕξις, i.e. dispositio sive affectus corporis, aut partium ejus, habitualis, stabilis, & perseverans, hinc bona corporis διάθεσις sanitas, mala vero
46. morbus dicitur. §. Præterea respondetur; Equidem privatio non est positivum quid, ut cum *Bechmanno l. 1. Inst. Log: c. 11.* loquamur, in se suaque ratione formali, quia est nihil aliud, quam habitus absentia, ejusque negatio, quomodo autem negatio positivi possit esse positivum non apparet. Est tamen solutio continuitatis, morbus pro materiali, ex qua sequitur morbus pro formali. vide
47. *Scharfium l. 1. Metaph. c. 2. Plempium de Fund. Med. l. 4. c. 2.* §. Secundo objici potest, Coryza non est morbus, sed symptoma morbi: nam sicuti fluminis fluxus vel descensus, flumen non est, sed actus fluentis tantum fluminis, sic nec humoris lapsus, stillatio vel fluxio, erit morbus; non enim est stillatio, quæ partium affectarum munus vitiat; Ergo membrana narium non est adæquatum morbi in soluta unitate subjectum. Ergo sternutatio non est morbus solutæ unitatis. Verum, potest tamen humor hic fluens, alterius morbi esse causa, ut inflammationis, irritationis, vellicationis membranæ narium, à quibus sternutatio. Sed nos hanc, de nominum propria vel impropria significatione, in Arte Medica, disputationem, modo res ipsa intelligatur, Logicis, Rhetoribus
48. atque Oratoribus relinquimus. §. Hæc de Subjecto, Objecto & Natura quæ est conservatrix sui, expellitque noxia, quamvis ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα, non edocta, & nullo usa magistro: *Hipp. 6. Epid. Sect. 5. l. de Alim. Sect. 9.* in genere dicta sunto. §. Sequitur terminus à quo, ad quem, & per quas vias. *Hippocrates* quia caput cavum & rotundum *lib. de Glandul. t. 5.* & corpori instar cucurbitæ incumbat *l. 4. de Morb. t. 5.* pituitæ fontem *l. c. t. 2.* sedemq; frigidi ac glutinosi *l. de Princip. aut Carn. t. 4.* appellavit. Caput enim humiditatem ex reliquo corpore complectitur, & corpus simul vapores omnis generis sursum in caput (ita Versio Lindani) demittit, quos caput rursus dimittit, h. e. fluxio in glandulas vergit:

git; *l. de Gland. t. 5.* Sed & pituitam viſcoſam ex nutrimento pituitoſo, ubi ad ventriculum pervenit partim corpus, partim vero caput ad ſe trahit, (quia τὸ φλέγμα γλίσχρον,) ita, ut alia per aliam ſequatur ad iſtud, *l. 4. de Morb. t. 6.* Convertuntur ergo ſuperfluitates nutrimenti, & componuntur vapores, ſicut convertitur in alembico illud, quod aſcendit ad ipſum excucurbita, quare aſſidui ſunt in ipſo fluxus, *Avicenna l. 3. Feneſt. 5. tr. 1. c. 11.* §. Quare 50.
fluxus? quia non retinet niſi caput ægrotat, *l. de Gland. l. c.* Ergo in catarrho non ægrotat vel dolet caput? Reſpondetur: Pituita redundans, ſi in capite maneat, *l. 4 de Morb. t. 7.* ac lenta fuerit fluxio, *l. de Gland. de Morb. t. 6.* multum dolorem, quum in venis eſt, capiti exhibet, ſi vero modicum hoc non facit, *l. 4. t. c.* Dices, hæc non 51.
fuit Hippocratis mens, neque probant, Cerebrum eſſe pituitæ fontem, quia *Liber de Glandulis eſt ab Hippocratis* doctrina plane alienus, ſpurius, ſub nomine ejus publicatus. *Liber de Morbis & Carnibus* nec editus, neque conſcriptus ab ipſo, ſed à diſcipulis ex ejus dogmatibus & aliis adulterinis conflatus. *Avicenna*, quid per ſuperfluitates intellexerit, non intelligitur. Præterea acute *Hippocrates l. de Gland. & Morb.* (ſi ab eo editi) κεφαλὴ non ἐγκέφαλος dixit. *Aph. 10. Sect. 6.* κεφαλὴν πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι: caput dolenti & circumdolenti, pus, aut aqua, aut ſanguis fluens per nares, aut os, aut aures, ſolvit morbum. Inſuper ἐν τῇσι φλεψὶν ἐόν, quum in venis eſt, *l. 4. de Morb. t. 7.* §. Sed, *Aph. 2. Sect. 6:* Quibus nares na- 52.
tura humidiores, & genitura humidior, morboſius ſani ſunt: quibus vero vice verſa, ſalubrius. *Doctiſſimus Hollerius* ad hunc locum: In ſano humiditas narium indicat cerebrum & univerſum corpus abundare humoribus excrementitiis. *Liebautii Scholium*: nares humidæ, cerebrum humidum arguunt. *Aph. 51. Sect. 7:* Sternutatio fit ex capite, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου percaleſcente cerebro, aut vacuo quod eſt in capite perhumeſcente: aër enim qui intus, foras erumpit: Strepitum vero edit, quia tranſitus eſt ipſi peranguſtum. Et ſepoſita iſta librorum *Hippocratis* diſtinctione *Libr. de Morb. Sacr. t. 7:* Si purgatio non contingit, ſed τοῦ ἐγκεφάλου in cerebro ſpiſſatur ac cogitur, ſic neceſſe eſt fœtus pituitoſos eſſe.
§. Deinde, ſi per venas vaſa ſanguiflua præciſe capitis intelligis, 53.
ita ut excludas cerebrum, oppono tibi locum ab interpretibus in

eadem

eadem classe positum, nempe *t. 2. Coacæ Pranot*: Quibus capitis sunt dolores, & sonitus aurium citra febrem, & vertigo, & vocis tarditas, & manuum torpor, eos aut syderatos, aut comitiales, aut
54. obliviosos fore expecta. §. *Avicenna L. 2. tract. 2. c. 18.* inquit: Sternutatio facta ex auricula muris mundificat cerebrum. *L. c. c. 5.* Aristolochia rotunda quando administratur cum pipere, mundificat superfluitates cerebri, *L. c. cap. 486.* per superfluitates intellexit humiditatem crassam in capite, quam extrahit succus memirem, (chelidoniæ radicis.) Ita & anemone si masticatur: *L. c. c. 662.* Etiam per vapores istos grassos mundificatur cerebrum, qui ab ipso resoluti per commissuras cranii egrediuntur: *L. 1. Fenest. 1. doctr. 5. c. 2.* §. *Galenus* aliquando planius: *l. de Instr. Odor. c. 2.*
55. Quæ vapori similia sunt, in sublime lata, per calvariæ suturas excernuntur, quæ vero crassa sunt, ut mucus, prona feruntur, primumque per crassam membranam, deinde per ossa colo similia trajecta, tandem in ipsas nares incidunt. Sed tamen, dum hæc ita defluunt, pars eorum in os per ea foramina, quæ à naribus in ipsum transire diximus, interdum delabuntur. *Galenum* sequuntur pleriq; omnes, & ipsius rei est probabilitas: nam in sicco cranio illa foramina valde conspicua sunt, ideo *Hipp. l. de Sacro Morb. t. 8*: Homo per os & nares spiritum accipit; primum quidem ad cerebrum venit, deinde vero in ventriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem, & pars ad venas &c. Qui vero ad venas pervenit aër, *ξυμβάλλεται ἐς τὰς κοιλίας εἴσω ὧν καὶ ἐς τὸν ἐγκέφαλον*: Versio Lindani, confert ad ventriculos ingressus & ad cerebrum. Atque
56. sic sapientiam & motum membris exhibet. Fortasse contra fas & jus, hæc & ejusmodi alia scrupulosius expendere, sed credere decet. Est adsertio *Hippocratis, Galeni, Avicennæ* & aliorum, qui sunt Antistites Medicæ disciplinæ. Ultra igitur quæri non oportet. Sed, credulitas, in nostro foro, nullum habet locum: apud Medicos sola veri dignitas valet, non authoritas dicentis. Hi non credunt, nisi ea, quæ oculi, mentisque acies, assequitur, unde commode *Poeta. Ipsa novas artes varia experientia rerum, Et labor ostendit miseris usumq; magister.* Alius, *Longa dies acuit mortalia corda.* Alius, *Crescit vita hominis, & longo proficit usu.* §. Verum enimvero *ἡ πεῖρα σφαλερὴ*
57. *ἡ κρίσις χαλεπὴ* experimentum periculosum, judicium difficile:

Aph.

Aph. 1. *Sect.* 1. Magna est authoritas *Hippocratis*, ut supra diximus. §. Textus, qui ansam dedit, est hic & iste: ὁ δὲ ἐγκέφαλος ἐστὶ μητρόπολις τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ κολλώδεος: Versio Lindani; Cæterum cerebrum sedes & metropolis est frigidi ac glutinosi: *l. de Princip. aut Carn. t.* 4. Alter, τοῦ δὲ φλέγματι, ἡ κεφαλὴ πηγή ἐστι: Pituitæ vero fons est caput: *l.* 4. *de Morb. t.* 2. 58. §. Quomodo fons? respondet cum *Laurentio l.* 10. *Quæst. Anat.* 12. maxima Medicorum turba: 59.
Cerebrum substantia medullosum, nativo temperamento frigidum & humidum, cum pituitoso alatur sanguine, maximam insita vi & natura propria ex alimenti superfluis excrementorum copiam congerit, excrementa hæc cerebri, si *Hippocrati & Galeno* credimus, duorum sunt omnino generum, alia sunt tenuia, alia crassa: illa vaporis & fuliginis instar, per ductus fere insensiles exspirant sursum: hæc per patentes & conspicuos meatus deorsum expurgātur. §. Status controversiæ est hic. An pituita quæ per nares excernitur, sit proprium Cerebri excrementum? sive, an pituita quæ postmodum excernitur ab alimenti coctione in cerebro generationem suam habuerit: Ita quidem, ut quemadmodum aquea excrementa ex reliquiis pituitosi & crudioris sanguinis, biliosa vero, & melancholica ex terrena alimenti portione caloris vi tandem assata generentur, propterea amarescant; ut *Ibidem* loquitur *Laurentius*: Annon? 60. §. Hoc posterius affirmatur & probatur ex *l.* 4. *de Morb. t.* 2. qui explicatur *t.* 3. & hujus explicationem vide in *t.* 14. & 13. his adjunge *t.* 10. Ex quibus omnibus colligimus 1. Quod caput dicatur fons, quia pituitam per venas ad se trahit, & rursus humorem corpori distribuit. 2. Quod caput aliquando ægrotet à sanguine in venis quantitate peccante, aliquando vero ab aliis humoribus sanguini admixtis. 3. Quod sanguis ad caput ex corde, per venas jugulares (in textu φλέβες αἱ σφάγιαι) delegatus naturaliter præter sanguinem strictè sic dictum etiam de bile, pituita, aqua, participet. Et quod hoc ægrotet, si horum humorum plurimum præter naturam venis capitis insit. His ita expositis & *iste Hippocratis locus l.* 4. *de Morb. t.* 6. aliàs satis obscurus intelligitur: qui, per quæ vasa pituita ex capite extrudatur, simul ostendit. Ne vero in explicando hujus, mentem *Hippocratis* commutes, adde *t.* 16. 11. ejusdem Libri Quarti. Secundo, *Hippocrates* non dixit pi- 61.

 tuitam

tuitam fieri in cerebro, neque appellavit istud officinam, in qua generetur pituita, quæ antea non erat, sed Metropolin, Fontem: ita dum Cor sanguinis fontem appellat, ex ipso tanquam ex fonte saliente sanguinem in universas corporis partes protrudi insinuavit: Probatur: Unum autem est horum omnium judicium, hoc scilicet, quæ tandem causa sit morborum, & quod principium ac quasi fons sit, ex quo corporis mala omnia scaturiant, *Hippocrates*
62. *l. de Flatibus t. 2.* §. Dices, cor est sanguinis officina; Respondetur, sed non author! Regeris ex *Aristotelis l. 3. de Hist. Animal. c. 19:* Sanguis γίνεται, oritur primum in corde ante, quam totum corpus formetur? Respondetur: Cor sanguinis fons est, ut pituitæ Caput, ut aquæ sive melancholiæ Lien. Porro quomodo fons sanguinis, Respondet *Plato in Timæo*: Cor venarum origo & fons sanguinis per omne corpus impetu quodam manantis in stipatorum regione suspendere voluerunt: ut &c. Quomodo fons venarum? respondet *Hippocrates de Alim. t. 7*: radicatio venarum Hepar ῥίζωσις radicatio arteriarum Cor, ex his aberrant in omnia sanguis & spiritus,
63. & calor per hæc meat. §. Tertio ἡ πηγὴ fons dicitur, quia πηδᾷ ἐκ γῆς aqua è terra salit, fons salientis aquæ: *Lexicon Schrevelii.* Fons, aqua ex certo terræ loco scaturiens & profluens: *Varen. Geograph. Gen. l. 2. c. 16. Propos. 1. & Scaliger exercit.* 100. *c. 2*: Si Alpheus labitur subter maris fundum: fluvius est Arethusa. Si emergit, fons est. Nullus idem fons ibidem fit, ubi erumpit; sed aut aquarum collectione in terræ sinu, aut subterraneis delatus meatibus fluvius est ante, quam emergat. Item πηγὴ scatebra dici solet, est vero scatebra ebullitio aquæ surgentis *Virgilius l. 1. Georg.*
64. *v.* 110 Scatebrisque arentia temperat arva: *vide notas varior.* §. Dices hinc quia ebullitio, pituitæ excrementitiæ generatio: Et, si pituita multa & acris πολὺ καὶ δριμὺς, de capite in glandulas colli influxerit, manseritque acris, & glutinosa, inflammatur ac intumescit, & collum distenditur: *l. de Gland. t. 5.* Nam ut primum descendit, statim pessimum colli morbum generavit: Ergo pituita ex-
65. crementitia fuit generata in cerebro. §. Respondetur, nulla est consequentia, hic humor peccans jam inflammat, ergo ante inflammationem non fuit; fuit: sed inflammare non potuit, quia
66. non mansit, & ipsæ partes erant validæ ac potentes. §. Dices,

fuit

fuit equidem ante inflammationem partis, ſed nequaquam ante illius in cerebro generationem, hac tamen diſtinctione, ut ſit acrior circa inflammationem, quam generationem in cerebro, quia circa generationem puris, dolores & febres magis contingunt, quam facto jam ipſo, *Aph. 47. Sect. 2.* Reſpondetur, non acrior in inflammatione, hoc quidem loco, quia *Hippocrates* dixit: Si multa & acris influxerit, manſeritque acris, & glutinoſa, inflammatur ac intumeſcit &c. Μένῃ maneat, à μένω, quaſi μὴ & νεύω, nuto, quod manet, locum ita ſervat, ut nec mutet; nec nutet: *Lexicon Schrevelii.* Μένει εἰς ἡμᾶς manet vel durat (imago) uſque ad noſtra tempora: *Herodianus l. 2. c. 9. ✝. 8. & l. 6. c. 5. ✝. 6.* οὐ γὰρ δὴ μισθοφόροις &c. οὐδὲ στρατόπεδα ἔχουσι συνεστῶτα καὶ μένοντα: Mihi, inquit ILLUSTRIS BOECLERUS *in Annot. in l. 3. Herod:* nihil aliud videtur dicere, quam, non habere Parthos exercitum ordinarium, qui ſemper in armis ſit, & ad ſubita bellorum excubet, ſicut in Romano imperio inſtituerat Auguſtus. EXCELLENTISSIMUS SCHEIDIUS *in Promptuario Herodiani,* μένοντα καὶ συνεστῶτα (caſtra) manentia & conſtituta militum perpetuorum: opp. quæ modo congregantur; modo iterum dimittuntur. §. Hæc, ut optime dicta agnoſco, ita, 67.
cum in Horum Duorum Virorum mentionem incidi, approbare etiam cogor illud *Horatianum l. 4. Carm. Od. 4.*

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Nimirum, *Uterque* reliquit effigiem virtutis, ſermonis, doctrinæ ſuæ *Filium.* En vobis Quirites, inquit P. Licinius Calvus, Conſul, Pater, Juvenem filium tenens effigiem, atque imaginem ejus, quem Vos antea tribunum militum ex plebe primum feciſtis, hunc ego inſtitutum diſciplina mea, vicarium pro me Reipublicæ do dicoque. Datum id petenti patri, filiusque ejus P. Licinius conſulari poteſtate declaratus: *Livius l. 5. c. 18. Horum* effigies, non ut Neronis in Gymnaſio ad informe æs liquefacta: *Tacitus Annal. 15, c. 22. ✝. 2.* Sed manſit imago uſque ad noſtra tempora. Et ut

qui erat ex Patricia gente Claudia, qui erat egregia atque præstanti fortitudine, Nero appellabatur, h. e. fortis, strenuus, virtuosus: ita in Posteris, in quos Præfata Cognomina descendent, effigies non commaculabitur. Et durabit in *Istis*, quamdiu exercitia nostra Academica, firma, stabilia, fundata permanebunt. Faxit Deus, ut sint μένοντα καὶ συνεστῶτα, manentia, constituta, perpetua: Apud me, Vestra, Viri Incomparabiles, semper vigebit, florebit, crescet memoria:

- - Nec me meminisse pigebit
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus:

Hoc est, quamdiu vincula meorum membrorum & firmamenta erunt νεῦρα, robusta: & quando

- - Fessos quatit æger anhelitus artus,

tamen honos, laudesque Vestræ, apud me, imo etiam apud posteros perrennabunt.
68. §. Dices *Hippocratem* non dixisse ἐπιῤῥεύσῃ, influxerit, sed ἐπιῤῥυῇ, si influat, & μένῃ, si maneat. Respondetur: optime *Lindanus Summus Vir & Græcarum literarum γνησίως peritissimus*, si influxerit, si manserit, interpretatus est *Hippocratem*; quia inflammationis causa est sanguis in parte læsa stagnans, stagnationis influxus vehementior, refluxus impeditior: probatur: Sanguis ipse, natura calidus existens, vi coactus, per angustam viam transire celerrime non potest, quum multa impedimento sint obstacula, & oppilationes, quapropter etiam pulsus fiunt circa tempora: *l. de Flat. t.* 13. Et, ut scias, quid *Hippocrates* intellexerit per τὸ vi coactus, ita explico: Vis cogens fervor est, fervoris est, mentiri plethoram, & hanc supra modum urgere, motumque accelerare, & præ festinatione proficere minus: Quapropter pergit *Hippocrates l. c.* febres fiunt, & cum febribus dolores, ac aliæ quædam ægritudines.
69. §. Dices, licet non sit generata in cerebro, tamen sequestrata in ipso, confirmatur hoc *Aphorismo de Vet. Med. t.* 24. *&* 25: Inest in homine & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, καὶ ἄλλα μυρία, & alia infinita, hæc mixta ac inter se temperata, neque conspicua sunt, neque hominem lædunt. Ubi vero quid horum secretum fuerit, atque ipsum in se ipso fuerit, tunc & conspicuum est, & hominem lædit. Respondetur: Pituita cum est acris δριμὺς, carnem penetrat, exulcerat, ac perfringit

venas,

venas, ex quibus ſanguis effuſus in alienos ſibi locos, ubi moram traxerit, putreſcit, ac in pus convertitur: *Hipp. l. de Flat. t. 17.* §. Jam Tibi viæ, per quas humor excernendus, & cum quibus ſit miſtus, innoteſcent. Ne vero ullus tibi ſuperſit ſcrupulus, audi *Hippocratem* noſtrum ita diſſerentem *l. c. t. 15. & 16*: Tenuiſſimum autem ipſius ſanguinis per venas excluditur, atque id ipſum tenuiſſimum liquidum, quum coacervatur, per alios meatus fluit: & ubi tandem cumulatim progrediens conſtiterit, ibi conſtituitur & morbus. Si itaque ad oculos pervenerit, ſequitur eorum dolor. Si ad aures, morbus & illas occupat. Si ad nares, gravedinem generat: Si ad pectus, raucedinem. Pituita enim ipſa acribus humoribus permixta, quocunque proruperit, maxime in non conſuetos locos, eos exulcerat. 70.

§. Non ex cerebri ventriculis per foramina oſſis cribriformis, quod affirmavit *Galenus*, & quem plurimi Medicorum ſequuti ſunt. Neque ut alii, qui cum nullum iter ad hæc foramina ex cerebri ventriculis patere intelligerent, eum duntaxat humorem, qui ſupra meninges, & ſupra corticem, & ſupra corpus calloſum nonnunquam colligitur, de hiſce foraminibus in nares deſtillare poſſe crediderunt. Quia os cribriforme non habet foramina, niſi, per quæ fibrillæ proceſſuum mamillarium & ſurculi duræ meningis & fibræ ſecundi ramuli, rami ſecundi, craſſioris ac interioris propaginis; quæ propago ſurculus eſt rami majoris anterioris nervorũ quintæ conjugationis, ſive tertiæ, ſecundũ Antiquos, tranſeunt & arteriolæ & venulæ nervos olfactorios cõcomitantes, & una cum ipſis in papilloſa carne oſſis ethmoidis parti cribri adinſtar perforatæ ſubjecta deſinentes. Quæ omnia in foraminibus oſſis ſolidi cedere neſciunt, ita ut hæc via, humori vitioſo dimanaturo, invia ſit omnino. 71.

§. *Ingenioſiſſimus Willis cap. 12. Cereb: Anat.* Cum neque à glandula pituitaria per os cuneiforme, nec à proceſſibus mamillaribus, per foramina oſſis cribriformis, apertura quævis manifeſta percipiatur, ad loca, quæ videntur impervia, confugit, quod in viventibus, humorum tranſlationes per ejuſmodi loca facile perficiuntur, dum pori & meatus partium à ſpiritu & calore dilatantur, iſti velut per raram panni lanei texturam ſeri depluvium tranſmittunt. Quid ni pariter humores ſeroſos è ventriculis cerebri in glandulam pituitariam ac mamil- 72.

 mil-

millares proceſſus decumbentes, per membranas aut nervos, hic
73. aut illic pertranſeuntes, amandari ſupponamus. §. Optime *hic Vir Doctiſſimus*, cavitates harum partium manifeſtas, prout Antiquitas credidit, negavit, affirmavitque viventibus ſæpe pervia eſſe, quæ de mortuis pertinaciter occluſa ſunt. Ibi enim vigente calore & vita, quod *Hippocrates* ſcite dixit *l. de Alim. t.* 4. ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα: Confluxio una, Conſpiratio una, conſentientia omnia: ſive conſenſus unus omnium & confluentia mirabilis: Ita quoque *Galenus l.* 1. *de Vſu Part. & l.* 2. *de Cauſ. Pulſ.* Male vero, noſtro ſaltem judicio, per os cuneiforme, & proceſſus mamillares, ut per bina emunctoria cerebrum aliquatenus expurgari ſtatuit: quia origo horum nervorum pluribus fibrillis medullaribus hinc inde in cerebri partibus ſparſis conſtat, mox coaleſcunt, &c. vid. *Cl. Vieuſſens l.* 3. *c.* 2. *Nevrograph.* & *l.* 1. *c.* 16: quo loco concludit: Quæ cum ita ſint, eos toto cœlo errare aſſerimus, qui catarrhorum materiam è cerebro derivari volunt, illam enim glanduloſis à partibus capiti adjacentibus ſuppeditari certum, ac
74. indubitatum eſt. §. Et hoc poſterius conceſſit quoque *Willis l: c.* Sed hoc non ſolum, quia humiditates quaſdam etiam à cerebro in narium cavitates per fibras oſſis colatorii foraminibus impactas depluere, madefacere, & continuo humectare dixit. Neque hoc ut *Vieuſſens*, ſcribit enim *Hic l. c*: productionum membranæ pituitariæ uſus eſt, ut ſanguinis ad cerebrum aſcendentis, aquoſam, tenuem, minusque lentam partem excipiant, eamque in ſinuum, quorum interiora obducunt, cavitates exonerent, ubi condenſari, ac lentorem quendam acquirere ſolet, adeo ut in mucum abeat, ſi aliquan-
75. diu in iis retineatur &c. §. His annectimus ea, quæ in limine *c.* 12. *Cerebr. Anat.* dicuntur: quandoquidem experientia teſtatur, ſerum & humores excrementitios, jure dicam morbificos, & non raro lethales, ſæpenumero intra hos cerebri ventriculos reperiri: & quod *cap.* 1. *de Nerv. Deſcript. & Vſu*: Nervis olfactoriis manifeſtam cavitatem attribuerit, adeo ut humiditas intra cerebri plicas ſcatens, per hos nervorum canales in proceſſus mamillares feratur, hujus lymphæ intra hos nervorum ductus contentæ uſus eſt, odorum ſpecies demulcere, eaſq; ſenſorio quadantenus præparare &c. Verum etiam, ſi quando ſeroſa colluvies in cerebri ventriculis congeri-

geritur, non raro superfluitaté ejus sive humorem excrementitium fibrarum ductu in cribrosum trajicere, & foras amandari. Probat observatione *l. c. c.* 12. à virgine quadam desumpta, quæ cephalæa immani diu affligebatur, atque è cujus naribus inter medios cruciatus, multum seri, flavi & tenuis quotidie effluebat. Resp. Uti hæc observatio nihil, ita non probat in hac virgine post mortem latex ejusmodi flavus cerebri anfractus profundiores, qui ejus cavitatem interiorem seu ventriculos inundabat: Ergo cerebri ventriculos esse meram humoris excrementitii cloacam; quodque humores illic congesti, superflui per fibrillas processuum mamillarium in nares expurgentur. Egregie *Vieussens l. c. c.* 16. scripsit, quem vide. Adde insuper ex *c.* 21. *l. c. Willisii.* ubi processus mamillares ipsorumque radices medullares cum ejusmodi fibris & filamentis veros nervos appellat, & qui sensui tantum conducunt Si vero nervi, respondetur, quomodo superfluitas humoris excrementitii ex ventriculis cerebri, perpetim, per inaspectabiles fibrillarum poros, vide *Vieussens l.* 3. *c.* 1. exstillare in nasum possit, difficile est concipere, & ita quidem exstillare, ut non contaminet, impediatve species sensibiles ascendentes per easdem vias in cerebrum, simul continuata spirituum animalium, secundum naturam velut undulatione à cerebro in fibrillas processuum mamillarium, secundum ipsius hypothesin. Secundo, quomodo humor acris, qui tantorum cruciatuum causa fuit, per nervulos sensui tantum dicatos, ut non lædat hos, transire potest. Acris est materia coryzæ, ita ut etiam corrodat narium pinnas, est ne possibile, ut fibrillas non lædat nervosas. Natura quæ est conservatrix sui & provida mater, serum quantitate qualitateve peccans, cum sanguine mixtum, amandat, ablegat ad commune emissarium, quod est membrana pituitaria, ubi postquam extrusum est, & sui juris factum ut in corzya, corrodit narium pinnas. §. Hic humor corrodens non 76.
exstillat ex fibrillis processuum mamillarium, sed ex vasis sanguifluis, quod porro confirmatur his: *Hippocrates l. c.* nempe *de Flatib.* *t.* 15. *&* 16. dixit: Ubi liquidū tandem cumulatim progrediens constiterit, ibi constituitur & morbus: Si itaque ad oculos pervenerit, sequitur eorum dolor. Ergo ubi dolor ibi morbus. In coryza, circa latera, in inferiore parte nasi, versus oculos, æstus, & pulsus arteria-

rum ſentitur: Ergo & ibi morbus. Non ſentitur hic dolor ſupra naſum, ſupra os Ethmoides, circa ſupercilia, ubi nervi olfactorii iſtud tranſeunt, ſed maximus circa nares, ut dictum, ex quibus ſæpius adventante coryza ſanguis effluit, & emunctio prima cruenta. In brutis coryza laborantibus, poſt apertionem, docuit experientia, quod illæſum fuerit os cribriforme, naturaliter ſe habebãt proceſſus mamillares: mundi erant & ſui coloris, fibris erant repleta foramina oſſis cribriformis, fibras de dura meninge tractas receptabant foramina illa tam minuta, quid multa? nullũ veſtigium ullius vitii intra cerebrum deprehendi poterat, os ſpongioſum quoque erat illæſum, at membrana interior narium aliquo modo erat vitiata, nimia illo muco maxime perfundebatur, eoque ſinus inibi obvii vehementer ſcatebant. §. Concludimus, ergo pituita
77. ſive humor ſeroſus, ſalſus, qui è naribus in ſtatu naturali & ſalvo manente ſubjecto excernitur, non manavit per priores cerebri ventriculos, ſinus, glandulam pituitariam, proceſſus mamillares, & tandem fibrillas in nares, ſed per vaſcula ſanguinis è capite cum ſanguine, hoc eſt, non per aſcendentia ſola, ſed & per deſcenden-
78. tia, per iſta tamen ut videtur magis. §. Nec excludimus meatum è tympano, quem obſervavit *Diemerbrœck*, qui narium cavitatem amplo & cartilaginoſo fine, mucoſa narium tunica, tanquam janitore obducto, ingreditur, per quem humor, quo aurium cavernæ maduerunt eò defertur. Nec eum ductum, per quem ab oculis in nares derivatur humor: vide *Stenonis Obſervat. Anat. de Gland. Ocul. p. 91. de Narium Vaſ.* 105. Nec vaſcula breviora; longiora
79. vero in homine nondum vidit *Steno l. c.* §. Sed & iſte *Hippocratis* locus errandi apud multos cauſa fuit, quod dixerit ἀναπέμπει τὸ σῶμα ἀτμοὺς εἰς τὴν κεφαλὴν παντοίους ἄνω: Verſio corpus vapores omnis generis ſurſum in caput demittit: *l. de Gland. t. 5.* Dixerunt nempe vapores & halitus, partim quia totum corpus poroſum, partim ob levitatem, quam habent, libere, ex ſtomacho per œſophagum, palatum, & alias, neſcio quas vias, in cerebrum aſcendere, poſt aſcenſum à frigiditate denſari, poſt denſationem reſolvi in guttas, quæ maximam partem catarrhorum conſtituunt. Sicut enim è vaporibus ſuſcitatis, ac non denſatis, in ollæ operculo, & in laquearibus balneorum fit aqua ſtillans, ſimili modo in cerebro contin-

gere

gere posse censendum esse. Obnubilatione vaporum è stomacho ad cerebrum ascendentium fit somnus post prandium, à vino, præsertim tenui, satis superque probat experientia, vide *Horatii l.* 1. *Epist.* 91. *& Minellii notas.* Quomodo vero, *Hipp. l.* 2. *de Diata t.* 22. *l. de Affect. t.* 35. docuit. §. Respondetur, quod communicentur 81.
cerebro illæ *ἀναθυμιάσεις*, licet non omnes, substantialiter, positive, per arterias præcipue Carotides, (vide *t.* 17. *de Flat.*) & non *ἀθρόως* ut arbitratur vulgus per insensiles meatus in cerebrum. Neque ob solam levitatem sursum, verum etiam quia totum corpus tam foràs quàm intus perspirabile est, per alias à centro versus circumferentiam vias, feruntur, atque sic maximam catarrhorum partem constituere nequeunt. Deinde frigus, si nude accipias non condensat vapores, equidem alembico applicantur panni aqua frigida madefacti, ut melius concrescat vapor: nostra assertio probatur, quia *Hippocrates* ait *l. de Aeribus Aq. Loc t.* 19: Quamdiu aqua pluvialis dispersa fuerit, & nondum congregata fertur sublimis. Ubi vero coacervata fuerit, ac simul congregata derepente à ventis inter se adversariis; tunc deorsum prorumpit, qua parte plurima collecta fuerit: ita quoque *Cartesius*, ut notat *Bechmannus, in syst. phys. p.* 344. §. Hanc, alia excipit difficultas: *Ga-* 82.
lenus l. 8. *de usu Part. c.* 6. *ut & l.* 9. *c.* 3. ut notat *Diemerbræck l.* 9. *Anat. c.* 7. (cum quo consentiunt plerique Anatomici) cribriformium & spongiosorum ossium usum esse scribit, partim ut pituitosa excrementa è cerebro per ea evacuentur: partim ut per eadem quoque vapores olfaciendi intro ad processus papillares ferantur, & præterea etiam aëris frigidi, nec non cujuslibet maligni odoris nimis repentinus in cerebrum impetus aliquantum tardetur, in eaque mora aër nonnihil tepefiat, & odor alteretur ac benignior reddatur. Imo quidam, quia ab odore gravi tracto dolet caput, ergo is per foramina ossis cribriformis in crebrum penetravit, argumentati sunt. Alii observationibus rem probarre laborarunt: Vir nobilis tabacum in pulverem redactum, naribus omni momento attrahere solitus est, & post mortem ejus regio narium humore ei non absimili, qui strophiolis apparet, cum insufflato tabaco emunguntur nares, madebat, dissecto vero cranio, pars anterior duræ memingis, non inquinata parte posteriore, eodem co-

 lore

lore flavescente erat suffusa. Quidam nullum remedium majus censent pro expurganda pituita ex capite, quam fumum tabaci,
83. qui per nares & os cribriforme in cerebrum transit. § Verum modice ut id fiat, aliàs vide *Virg. l. 8. Æneid. p. 252.* Quia vero ad hæc jam respondit *Diemerbræck l. 3. c. 19. Schneiderus lib. de Catarrh. Specialiß. p. 213. Ettmullerus Dissert. de Abstr. Resp. Neg. c. 8. §. 2.* (quamvis pro affirmativa quæstione citet magnos multosque Viros doctos, nempe *Galenum, Erasistratum, Vesalium, Sennertum, Laurentium, Columbum, Plempium, Fracassatum*, aliosque complures.) *Bellinus l. de urin. & Pulf. p. 234.* nostra responsione opus haud est. Nobis inserviunt ea quæ in *Exercit. Anat. Med. de Gland. Intest. Cl. Peyeri p. 59.* habentur. Interim os cribriforme, os spongiosum, cum annexis partibus, nimio usu pulveris sternutatorii, aut ulcere luis venereæ, aut alio modo posse vitiari ita, ut naribus injectus pulvis in caput penetret, haud negamus, integris vero illis ossibus, illæsis partibus, naturaliter, nequaquam. Superest, quod objicitur, aliud; Spiritus in officinis, hoc est, liquores spirituosi, tenues, limpidi, ab impuritatibus magis sequestrati, evanescunt, etiamsi plures vasis super impositæ atque agglutinatæ sint pelles. Si igitur pelles ejusmodi, quæ insuper siccæ sunt, hoc est pororum ac partium minus distractilium, non possunt cohibere motum, atque vaporationem spirituum, quanto facilius iidem spiritus sive partes aqueæ subtiliores aquæ Reginæ Ungariæ, ut exemplo demonstremus, superabunt altitudinem tenuissimæ pelliculæ, minutissimas fibras narium, quæ insuper molles sunt, & quia totum corpus
84. porosum, porosæ. §. *Iohann Hiskias Cardilucius* in seinem neuvermehrten Chymischen Handleiter p. 406. schreibet. Es muß das Gefäß/worinn man das Wasser der Königin auß Ungeren thut/ sehr wohl verwahret/ und zugestopffet werden/ dann es ist über die massen subtiel und durchdringend. Sonderlich aber schreibet Zapata, denen auß dem Roßmarin bereiteten Hülffmittlen/ schier unzählich viel Tugenden zu/ und zwar nicht ohne Ursach/ denn dieses Gewächs ist mit flüchtigem Saltz und Schweffel/ welche die vornehmste wirckende Dinge in der Natur seind/ erfüllet / furnemlich aber / wann derer Tugenden mit dem subtielen spiritu vini
85. beseelet seind &c. Ad hoc distincte erit respondendū. §. Rosmarini

vis consistit in sal vol. oleoso, unde merito capiti & utero dicatur: *Ettmuller Op. Ph. & Chym. part. 1. p. m. 162.* Vix sal aliquod adeo purum ulla arte à concreto ullo, separari potest, aut à natura productum existit, quin alias simul heterogeneitates terreas scil. aut sulphureas, intermixtas foveat. Dum volatile sal vix sine oleosi connubio concipere licet: *Cl. Bohnius Dissert. Chym. Phys. 14. §. 6. Et Dissert. 10. §. 23:* Sal volatile aliquid olei sibi combinatum gerens, molem majorem nanciscitur. Hoc confirmatur *Dissert. 1, §. 4.* Hæc salia volatilia amica imprimis sunt nobis, cum tota nostri corporis machina, omnesque ejus partes, similibus referta sint, unde vix præ iis nobis magis convenientia obtineri possunt medicamina, præsertim si temperata nonnihil, & oleosa reddita fuerint, adeoque nobis promptius assimilabilia: *Ettmullerus Exercit. de Præcipitant. vero usu p. 37.* Consentit *Ioh. Iacob Barnerus tr. de Spir. Vini sine Acido, p. 39.* quo loco pergit: Sal majoranisatum narium obstructionem aperit &c. eadem & aromatica contra apoplexiam commendat Helmontius, scil. cum volatilia sint, sanguinem egregie impellunt. *Moses Charas t. 2. Pharm. Reg. Chym. p. m. 157.* de sale volatili oleoso Tilingii, hoc sal volatile temperatum, odoris & saporis gratissimi, quod tenuitatis partium gratia admodum convenit attenuandis & discutiendis vitiosis humoribus, atque per habitum corporis excutiendis. Sunt vero temperata hæc salia ab adjuncto oleo, qualia è vegetabilium regno sunt mentha, salvia, rosmarinus, omniaque aromata, quæ constant sale volatili urinoso, ab oleo temperato: *Ettmullerus Pyrotech. Rat. l. 1. sect. 1. c. 3. idem Exercit. Allegat. p. 33:* Omnia fluida corporis nostri de acido & alcali subpinguis temperatura participant. Verum acrimonia salium non tam per pinguia & sulphurea tollitur, quam per sales: *Sennertus de Consens. & Dissens. Chym. c. 16.* Aliàs, salia volatilia, qua talia, omnia notabiliter existunt refrigerantia, vel spiritu Salis Amoniaci simpl: in febribus intermittentibus sensualiter hoc confirmante: *Ettmullerus l. c. p. 34.* Quomodo salia volatilia præstantissima febrium comitatarum sic dictarum sint auxilia, docet *l. c. p. 29.* Quippe salia volatilia præsertim oleosa, potissima esse, & efficacissima, diaphoretica, eoque potentiora, quo acriora & penetrantiora, quæ effective sanguinem alterando,

 & quasi

& quasi dissolvendo, sudoris rivos profundi faciunt: ut supra §. 3. insinuatum fuit, & per experientiam hactenus confirmatum: *Idem*
86. *Exercit. de Virt. Opii Diaph. c. 2. §. 11.* §. Si hoc, Resp. nequaquam aqua Reginæ Ungariæ cum spiritu vini elaborata, per fibrillas nervosas maxime sensiles ossis cribrosi sine summo dolore & cruciatu penetrare in cerebrum poterit. Non negamus spiritus omne fere genus impedimentorum eludere, ac sese adigendo, vel per tenuissimos quosque poros corpora imprimis membranosa superare, vel sibi viam aperiendo, inter duas quasque partes cohærentes, & inter contactum nullum spatium relinquere. Sed de his in sequen-
87. tibus. §. Hæc aqua super manum effusa poros cuticulæ, cutis, penetrat, & nervosas partes calefaciendo roborat, juxta *Aphorism. 18. sect. 5. Hipp.* Sed quod fibras penetret sine summo dolore, in membrana narium tensa, quæ tensio facit ut membranæ minus cedant, unde impetus objecti dolorem excitantis vehementior, & magis per minima nitens, & magis divellens, hinc dolor intensus punctorius in pleuritide; hoc omnem superat fidem. Confirmat hoc experientia, quoties aqua Reginæ Ungariæ per nares attrahitur, toties æstus, aliquando exulceratio interiorum, natura abhorret, comprimuntur glandulæ, exprimuntur serositates ex oculis, naribus, quidam plane ferre non possunt. Jam si pertransiret
88. fibras & ingrederetur cerebrum, quæso quæ mala? §. Consequentiam hujus asserti non attendimus, pergimus ad alia, & probabimus aquam Reginæ Ungariæ non penetrare posse fibras nervosas narium per os cribriforme trajectas. 1. Quia fibræ spiritu animali repletæ sunt, licet non turgidæ. 2. Supponimus spiritum animalem esse salinam volatilem forsan & lucidam sanguinis subtilissimam partem à cerebro per nudam separationem generatam:
89. quod statuit *Ettmullerus Med. Th. Pr. Instr. p. 115.* §. Si Primum 1. Spiritus animales non sunt acidi ex sanguinis parte acidiore in cerebro separati secundum *Pascal. in libello, cui nomen la Nouvelle de couverte & les admirables effects des fermens dans le corps humain*, ut notat *Cl. Bohnius Circul. Anat. progymn. 19.* Quia acida & alcalia ubicunque (medio inprimis aqueo vel fluido) occurrerint, tanquam contraria in se invicem agere, sese contemperare, destruere,

& tandem arcta concordiæ unione sese in sal tertium conjungere satagant. Magis nostram sententiam confirmat *Cl. Peyerus l. c. p.* 58. 2. Corrueret *Willisii* hypothesis *de Anim. Brut. p. m.* 32. Qui spiritus animales è sanguinis flamma emissos lucis radiis, saltem iis qui auræ, aerique intertextis sunt similes, dixit: quia spiritus animales donec puri, in apertis ἐγκεφάλε ejusque appendicis spatiis feruntur, satis tranquilli degunt, verum illi intra musculos conclusi, ibidemque particulis sulphureis, à sanguine, ac interdum aliis in locis materia heterogenea perfusi, valde impetuosi, sc. elasticia, ut spasmodici evadunt. Neque 3. *Mayovv.* sententia firmo staret talo, cui spiritus animales è particulis Nitro aëris constant. Particulæ vero motivæ â sanguine suppeditatæ, indolis salino sulphureæ, quæ invicem commixta effervescunt, probat experimento Oper. Med. phys. p. 315: Si spiritui vini summe rectificato spiritus nitri, à phlegmate suo debite liberato admisceatur; æstus mox insignis ab iis, saltem leni calore commixtis excitabitur: cujus ratio esse videtur, quod particulæ nitro aëreæ, particulæque salino sulphureæ summe volatiles, quibus spiritus vini constat, mutuo se pro sua natura in motum concitent. Quem tamen insignem æstum ab hac aqua in his fibrillis & hunc necessario subsecuturum motum convulsivum permanentem isti omnino negabunt. Neque hoc solum, sed &, si liquor salino sulphureus ut spiritus vini cerebrum ipsum penetraret, haud raro convulsiones in cerebri claustris excitaret, ut ait *Idem p.* 333. §. Aliàs ex Praxi 91.
constat, Medicos in curatione mali hypochondriaci quam maxime esse solicitos, ut corrigatur acidum, viscidum evacuetur, convulsiones per anodyna sedentur. Corrigunt acidum antiscorbuticis, hoc est, medicamentis de sale volatili urinoso participantibus, verum quia plerumque nimis sunt acria, ut Nasturtium aquaticum, Cochlearia, Piperitis, cum aliis ne noxam inferant, miscent. Commendant incidentia, aperientia, martialia, iterum non sola: *Excellentissimus Wepferus* dicere solet: Der Stahl ist ein rechter Magenmörder. Aquas acidulas martiales, quatenus viscerum sordes abstergunt, & obstructiones reserant. §. *Francisc. de le Boe Syl-* 92.
vius, Prax. Med. Append. tr. 7. p. m. 773: aciditas humoris pituitosi

aucta in affectione hypochondriaca corrigitur imprimis ſale lixivioſo, rebusque omnibus ſale lixivioſo præditis. Hoc ſal quo minor fiat ab ipſo quando miſcetur cum acida pituita effervescentia temperatur cum ſpiritu volatili vel oleo: *l. c.* Diximus autem non ſemel ſpiritum vini eſſe ſpiritum volatilem, lixivium eſſe ſalem in combuſtarum rerum cineribus remanentem, & aquæ ope à terra ſua liberatum: *Idem l. c. p. m.* 461. Hic ſpiritus cum ſucco ex plantis cephalicis, *e.g.* betonica, majorana, origano &c. expreſſo, mixtus, ſi ad guttas aliquot, ex cava manu allicitur per nares ſurſum, pituitam viſcoſam incidit, attenuat, & ad ſpontaneum deſcenſum præparat, ita forma ſicca parata errhina ut pulveres, pituitam glutinoſam in ſuperiori narium parte collectam, vel in cerebri ventriculis glandulâve pituitariâ, vel alibi hærentem ſolvunt, & concurrente ſæpius ſternutatione vi expellitur per nares. Sed hoc non ſolum, verum etiam acidum in ſe ſpiritum concentratum habentia, qualia ſunt mercurius &c. Idem faciunt ſalia volatilia, ſed acriora, *p. m.* 126. Inter omnia autem in ſenſus occurrentia, tum naturalia & artificialia, nihil reperitur, quod animales ſpiritus, utpote volatiles, inquietos reddere poſſit, præter ſalem volatilem acriorem, cui quoties cum oleo immiſcetur plus ignis, redditur acre: *Idem p. m.* 468. Sed à ſpiritu vini rectificato temperari ſolet, & mitigari omne acre, tam ſalinum lixivium quam acidum, atque incidi, attenuarique omne glutinoſum: *Idem p. m.*
93. 79. §. Notandum; equidem ob affinitatem nomen alcali omnibus ſalibus lixivioſis ſeu urinoſis impertitum eſſe, ita ut jam hæc nomina ſynonyma ſint, quidam tamen ſub urinoſi non niſi volatilia, & ſub lixivioſi titulo fixa ſaltem comprehendunt, quibus fixis non corrigitur, hoc eſt, attenuatur, reſolvitur primò glutinoſitas humoris pituitoſi, ſed ſalibus volatilibus urinoſis acrioribus, e. g. naſturtio & ſimilibus antiſcorbuticis, hypochondriacis, quæ diverſa ſalia quando concurrunt, ſi nihil impedimenti intercedat, effervescunt, ut acidum & alcali. Imo tanta vi inter ſe invicem agunt, ut etiam illorum effluvia inviſibilia ad mutuum occurſum nebulæ inſtar craſſeſcant, quod jucunde admodum videre eſt, quando ſpiritus urinæ rectificatus & aqua fortis in duobus vitris inclinatis & apertis, invicem prope admoventur. Deinde alcalia

fixa,

fixa; quæ per se spiritui vini rectificato haud connubunt, si aceto tamen probe impraegnentur consortium spiritus illius sulphurei non detrectant. Pariter eadem alcalia olea per se non facile admittunt *Cl. Bohnius Dissert. Chym. Phys.* 2. §. His præmissis re- 94.
spondetur 1. pulveres sternutatorios ad dimidium vel integri pisi molem in alterutram, vel utramque narem cum inspirato aëre allectos, aut pulsos, pituitam glutinosam in cerebri ventriculis glandulave pituitaria hærentem, solvere, incidere, attenuare, omnem superat fidem. 2. Mercurium habere acidum in se spiritum concentratum, ratione cujus mirabilia sæpe præstat in humoribus glutinosis è cerebro per nares eliciendis, negatur ex *Dissert.* 12. *Paragr.* 15. *Celeberrimi Bohnii*: Suum assertum probavit *Cl. Bohnius in epist. ad D. Ioel. Langelottum de Accid. & Alcal. Insuff. p.* 433. Salia volatilia acriora, e.g. sal volatile salis amoniaci, à cujus spiritu ægri excitari solent, quando admovetur naribus in suffocatione hypochondriaca, Epilepsia, nempe ab ipsius odore acri, ut *Ipse* ait *p. m.* 204. ingredi cerebrum absque læsione, absque tumultu spirituum animalium hinc summo periculo, à me, ut credam, impetrare non possum: Licet temperata à spiritu vini rectificato, qui cum spiritibus animalibus magnam habet affinitatem, vide *p. m.* 78. & 79.
§. Dico, non absque tumultu, probatur: Si spiritus animalis in 95.
Epilepsia à spiritu acido volatili, vel halitu acido & acri inquinati (h. e. ita mutati secundum suas qualitates, ut tunc sint inepti sensationi laudabili & naturali absolvendæ) corriguntur ac emendantur à salibus volatilibus, v. g. spiritu salis amoniaci (quia contrarii) sequitur 1. à diversorum saliū congressu fieri effervescentiam, quæ non est sine tumultu. 2. Sequitur, quod quamdiu vitiosa qualitate iidem spiritus sunt infecti, tamdiu post motus convulsivos præcedentes tandem in vera convulsione permanere musculos. vide *p. m.* 608. Ejusdem, hoc probatur p 443. §. Si convulsionis quæ cor- 96.
rigitur ac emendatur à spiritu volatili, sequitur, ab hoc inordinatum spirituum animalium motum retardari, in musculis ac musculosis partibus demulceri, hoc est, causam proximam convulsionis continentem (habemus acidos *p. m.* 608.) partibus suis acutis gladiorum acutorum adinstar defraudari, quod sine conversione particularum insigni, & quæ hanc sequuntur, concipi nequit. §. Porro, 97.
si spi-

si spiritus vini rectificatissimus coagulatur à volatili sale salis armoniaci secundum *Sylvium p. m.* 80. Et experimentis chymicis notum est, ab acido admisto coagulari & inspissari quævis coagulabilia, *p. m.* 566. sequitur, quod vel spiritus vini habeat aliquam aciditatem, vel sal volatile salis armoniaci. Credo, inquit *Ettmullerus Pyrotech. Rat. l.* 1. *sect.* III. *c.* 1. quod in spiritu vini acidum subsit. Hoc negat *Cl. Bohnius Epist. cit. p.* 26. 58. 62. Consentit *Bernerus tract. alleg.* acidum in spiritu vini utpote oleoso, mente
98. non concipi posse. *p.* 14. 29. 37. §. Verum enimvero, quia *Charas l. c. p.* 167. inquit, sal volatile urinæ potentissime acida domare, à quibus ut plurimum fermentationes in corpore nostro excitantur. Et *Cl. Bohnius progymn.* 14. *Circul. Anat.* asserit: Sal urinæ non esse purum alcali, sed salsum seu nitrosum, vel potius sali amoniaco simile, id est, quod præter alcalicas acidas etiam particulas fovet: Judicium nostrum hic suspendimus. Saltem patet, si in spiritu vini acidum aliquod subsit, quod ab isto non ita, ut putat *Sylvius*, omne acre tam salinum lixiviosum, quam acidum temperari & mitigari queat, *p. m.* 79. Deinde si in spiritu salis armoniaci; non video quomodo hic spiritus per nares in cerebrum penetrare atque spiritus animales male affectos; acidos in Epilepsia tanquam contrarius *p. m.* 608. imò in raucedine humores acidos salso muriaticos & glutinosos tum ipsorum spiritus & halitus vim corrigendi ac
99. emendandi habeat: *p. m.* 870. §. Et, si vera sunt, quæ thesi XXXIII. p. 21. Quoties &c. leguntur, & quæ th. XXXVII. p. 312. & quæ th. XXIX. p. 186. & quæ th. LX. p. 133. & quæ th. XLII. p. 182. & quæ th. XXVIII. p. 218. & spirituosis aromaticis: *p. m.* 218. Concluditur haud absurde, naturam humoribus serosis, salso acidis per fibras nervosas ossis cribrosi in coryza, sternutatione ve transitum in nares non denegasse. Si hoc, sequitur quod quando fumus succini admiscetur acido in his fibrillis, vel cerebro, necessario ut fiat tumultus insignis, effervescentia, motus convulsivus permanens, ut augeatur malum, & natura stimulata, istud medicamentum tanquam ingratum & noxium summo cum conatu per vias sibi non suetas expellat, magis lædet in sternutatione, quam proficiet. Imo arbitratur *Charas l. c. p. m.* 280. Si Magisterium succini cum aceto præparetur secundum Schröderum

quod

quod acidum quod aceto ineſt & præcipitantibus adhibitis ſuccini naturam immutet, & expectati effectus ab hoc magiſterio non ſint expectandi. §. Suppoſuimus ſupra ſpiritus animales eſſe 100.
ſalino volatilis naturæ ex *Ettmüllero l. c. p.* 115. Et fibras oſſis cribroſi eſſe iiſdem repletas, licet non turgidas; & hoc affirmavit *Sylvius p.* 80. & 20. Si igitur ſpiritus animales ſunt ſalino volatilis naturæ, & motus per fibras eſt continuus, ſequitur quod quando cum ſpiritibus animalibus miſcetur, v. g. in his fibrillis nervoſis liquor acidus, ut iſtos inquinet, vitioſe alteret, nervos irritet, poſt motus convulſivos convulſiones permanentes efficiat, & alia mala graviſſima, quæ in coryza vel ſternutatione non obſervantur, è contra obſervantur in Epilepſia, cujus cauſa proxima & continens eſt halitus acidus ſecundum *Sylvium: p. m.* 608. Secundo ſi ſpiritus vini eſt ſine acido, quod ſupra laudati Viri probare conati ſunt, ſequitur ab aqua Reginæ Ungariæ in coryza cum acido in nervulis oriri effer veſcentiam, & quæ hanc ſequuntur. Tertio ſi ſpiritus ſalis armoniaci humores ipſos acidos ſalſo muriaticos & glutinoſos, tum & ipſorum ſpiritus & halitus corrigendi ac emendandi habet poteſtatem: *p. m.* 870. Sequitur hunc in nervulis dictis (ut jam non dicam, extrema prope omnium nervorum filamenta in membranaceas quaſdam expanſiones, non tubulos aut oſcula terminari; ſaltem id certum eſt, nervorum poros adeo eſſe anguſtos, ut nulli rei, quantumvis ſubtili, præterquam ſpiritui animali quo vix quicquam in rerum natura datur ſubtilius ac efficacius tranſitus fores aperiant) quando adhibetur, humorem acidum emendare, corrigere, & ſi opus, incidere, quod vero experientiæ in coryza, ſternutatione, & rationi reclamat. Quarto, ſi ſal volatile urinæ potentiſſime acida domat ſecundum *Charas l. c.* Sane ut fermentatio quædam in his fibrillis quoque fiat, neceſſe eſt, quæ fermentatio non adeo cito, tuto & jucunde in cerebro ſive hujus appendicibus, abſolvitur, prout opinabatur Sylvius, *p. m.* 182. §. Ad 101.
propoſitum revertendum, feſtinationi (cum multa adhuc ſuperſint) & brevitati noſtræ ignoſces. Sequitur itaque ſecretio in membrana pituitaria à glandulis, quarum ſtructuram minus recte ut nobis ſaltem videtur ex mente *Hippocratis* (cujus tamen authoritas nobis eſt magna, quouſque nec experientia nec evidens ratio

aperte refragantur,) *Ettmüllerus l. c. c. 16. Physiol.* docuit: Quia *Hippocrates* Glandulas *l. de Glandulis t. 1.* appellat σαρκία carnes, sed sui generis, quia ψαθαρὰ friabiles, h. e. conteri minutim manibus possunt. Deinde quia si disseces glandulas, sanguis largus erumpit, nempe ex venis, quas frequentes habent, specie albus, & velut pituita, hoc est sanguis pituitosus, minus perfectus, minus coctus. (*Cl. Bohnius Progymn. 13. Circul. Anat:* serum sanguinis *Hippocrates de Gland.* Sanguinem album vocat.) Tertio quia molles contrectanti se offerunt, velut lana. Quarto quia si multa vi ipsas digitis compresseris, ἀδὴν ὑγρὸν ἀφίησιν ἐλαιῶδες glandula humore oleosum reddit, quo violentius expresso & destituto glutine ipsa glandula comminuitur ἐξαπόλλυται emoritur. Deinde quia *Hippocr. l. c.* dixit: ægrotant autem glandulæ non valde, sed una cum reliquo corpore, quũ vero proprio morbo ægrotant (nam parum etiam cum reliquo corpore ægrotant) morbi tubercula fiunt, & strumæ resultant, & febris corpus occupat. Quia τὸ friabile non de glandulis, non de vasis cerebri dicitur *l. c. t. 6.* sed de tertio inter glandulas, inter vasa. Quia de corpore, quod est inter humidum & siccum medium, & facile in minimas particulas potest dissolvi: Quia caro
102. friabilis sæpius apud Galenum legitur. Nostrum assertum confirmat *D. Bruno in Lexico suo Medico:* quem vide. §. De glandularum officio & habito respectu ad nervos, quoniam præfracte nihil, aut pertinaciter Clarissimi Viri hac in re asserere conati sunt, sed hypothesin tantum à longo tempore ab ipsis animo volutatam, limatioribus aliorum judiciis trutinandam proponere; æquum est, ut & nos per otium verum nervorum in glandulas insertorum usum quæramus: nam temerarii esse, ait *Cicero*, quod
103. non satis exploratè perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere. §. Postquam à glandulis membranæ pituitariæ conglomeratis serum à sanguine sequestratum est, istud, licet non omne, in cavitatem nasi effunditur, & per meatus non subsidentes expellitur. Quæ membrana secundum Anatomicorum doctrinam ita describi potest: Membrana pituitaria est fungosa, spongiosa, & glandulosa pars, quam plurimis diversi generis instructa vasis; nervorum propagines, arterias quamplurimas à carotidum ramis accepit, quas venarum rami in venas jugulares desinentes comitantur, in hac quoque observantur vasa habita offi-

cii

cii ratione mucifera appellata (secundum *Cl. Vieussens l. 1. c.16.*) hæc ab utroque anteriori ossis occipitis processu, cui arctissime adhærescit, oriri videtur, lateque extenditur, & totum fere, quod faucium nomine donari solet, spatium insternit, ac deinceps ad capitis anteriora tendendo, varias ad partes exporrigitur, adeo ut illa palatum, totum os vomerem, ossa spongiosa, in superna narium parte pendula, narium ipsarum, & patentium duorum meatuum, qui à naribus ad fauces tendunt, interiora obducat. Et, quamvis, inquit *Bauhinus*, hæc & tunica oris, linguæ & palati communes membranæ esse videantur, tamen in naribus, exquisito sensu tactus donata est hæc tunica, ita ut eâ irritatâ sternutatio fiat. §. Quæ est motus, & ut cum *Avicenna* loquamur *l. 1. Fenest. 2. doctr. 3. c. 1.* mixtus; quia completur conjunctione motuum membrorum pectoris & capitis simul. Motus pectoris est motus constrictorius, percipimus enim ipso contactu thoracem in sternutatione constringi, & comprimi abdomen, beneficio musculorum constrictioni inservientium, ut sunt musculi intercostales interni, & qui sunt alii ad hasce partes comprimendas dicati. §. Hic vero consensus fit propter affinitatem & communicationem nervorum intercostalium cum nervis à pari quinto. Unde minus mirabimur, ait *Du Hamel l. 4. de Corp. Animal. c. 4*: Si tantus sit inter tunicam narium & thoracem consensus, si musculi pene omnes in sternutatione conspirent: si post pleniorem inspirationem, tanto cum strepitu aër in expiratione per narium cava diffletur, si omnes pene corporis musculi in sternutatione quatiantur, ac si quid molesti iis inhæserit, penitus excutiatur. §. Hanc excussionem *Cl. Vieussens l. 3. c. 5.* ita explicat: in sternutatione statim atque nerveæ fibræ, quæ in membranam narium interiora occupantem desinunt, à re quavis acri vellicatæ corrugantur; illicò diaphragma propter altiorem inspirationem à spiritu animali per nervos intercostales devecto excitatam deprimitur, & subinde membranæ narium spasmo remittente, septum transversum superiora versus vehementer retractum, violentam expirationem excitat. In qua addit *Du Hamel l. c.* aër inspiratus cum impetu exploditur, & qui secum abripit humorem in naribus hærentem. §. Quæ cum ita se habeant, hi ad unum omnes à veritate quam longissime abesse

104. 105. 106. 107.

videntur, qui cum sternutatio existit, in cerebro flatum semper gigni cogique, & mox per ossis cribriformis foramina cum spiritu sonoque emitti, ac una cerebrum & ejus membranas vehementissime intus moveri arbitrantur. Patetque, quanta in hoc *Hippocratis* pronunciato sit veritas; Si unde ita accipimus: *Aph. 51. Sect. 7.* Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ. ὑπερχεῖται οὖν ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω. ψοφεῖ
108. δὲ, ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστίν. §. Ex his talem sternutationis definitionem struimus. *Sternutatio* est motus violentus, & vehemens, thoracis imprimis & narium simul, celer, semel, bis terve plerumque repetita, qua membrana interior nasi, & pituitaria, à spiritibus animalibus moventur sursum, hoc est, à nervulis quintiparis contrahuntur versus illorum principium: unde humoris pituitosi, serosi, aquosi, spirituosi, sed sequestrati, expressio, hinc modo simplicioris, modo magis compositi, modo crassioris, modo tenuioris, pellucidi, modo obscurioris, salsi aliquando, insipidi, inodori naturaliter semper, ut emissario publico, conveniente, excretio. Et post aliquam inspirationis inchoatæ suspensionem, subitò & magna, sed mox iterum cessante vi, per nares & os aëris cum humore una vice explosio, unde quia istis transitus est per angustum, hoc est, per anfractus, gyros, cavernas, cavitates; strepitus & sonus. Ut avertatur noxium à causa externa
109. internave illatum. §. Jam intelligitur, quid sit sternutatio, ubi ista generetur, quænam sit forma sternutationis, nempe motus violentus cum sono in naribus. Pro genere habet motum pravum, qui membranæ narium est proprius, non cerebri, ut motus subjectum; sive motus, ut attinet ad membranam est passio, ut ad cerebrum est actio, in quantum mens in cerebro dominans, per facultatem expultricem à mœsto membranam liberat, interim, licet juvet, manet tamen sternutatio motus pravus. Sternutationis causa efficiens prima, est mens, secunda nares, quamvis nares primo irritentur, & secundo mens admoneatur, tertia motus capitis, thoracis, imo totius corporis; & hæ causæ omnes à causa vel ex-
110. terna vel interna, cum tamen omnis sit externa. §. A forma non sumuntur differentiæ, nisi secundum magis & minus: ut in sternutamento motus pravus cum sonitu, est vel magis, vel minus pravus, unde in quibusdã sonus acutus aut magnus haud auditur,

sed

ſed valde exiguus eſt, & ad ſternutandum potius impetus aut co-natus. Unde ſternutationis motus eſt celer, bis terve repetitur plerumque. Obſervavit vero D. Schubartus: quod Nobiliſſimæ cujuſdam famula, nocte ingrediente, ante decubitum ex impro-viſo ter centies & ultra ſternutaverit, & quæ tertia vice, ſemper intervallo unius diei, hæc moleſta & periculoſa ſternutatio, noctu rediit, nihilominus tamen iſta adhibitis medicamentis convaluit, vide *Ephemer. Med. Germ.* Annum 3. & Schneiderum *l. de Oſſe cri-briform.* p. 460. Memorabile eſt exemplum cujuſdam Græci Suiri, qui vulneratus circa tempora per ſagittam à Turcis poſt annos 25. concitatis ſupra modum ſternutationibus, magno pruritu inter maximos conatus, è naribus ſagittæ fruſtum, digiti medii longitu-dine, ferrea acie rejecit, nec aliam vulneris notam reliquit: Schen-ckius Obſerv. 342. de Cap. Hum. Aliis alia ex ſternutatione crebra ſubvenerunt mala. Sic tempore quodam Harlemo pete-bam Amſtelodamum, aderat in navi quidam de grege iſto homi-num, qui pulveres ſuos ſternutatorios commendabat, ut medici-narum omnium compendium, & omnium Doctorum, ut ajebat, opprobrium; quippe qui ſubitò efficerent ſine labore ægri, quod illi catapotiis, & purgationibus præſtare nequirent. Inter hæc ru-ſticus quidam, neſcio, an ſcrupulis quibuſdam, an omine addu-ctus, interrogat, num nam nocere poſſet pulvis iſte, audiviſſe ſe ad mortem uſque procedere poſſe ſternutationes iſtas; ingereret audacter, reponit circumforaneus, ſternutationibus, credo, fre-quentibus, & quodam miſeri incommodo, eum ridendum volens propinare circumſtantibus. Haurit impigre ruſticus, & ſternuere ita vehementer incipit, ut ſanguis ſequeretur tantâ copiâ, ut miſer exanimus concideret, & Amſtelodamum delatus, diu decumbe-ret: *Th. Kerckring Spicil. Anat. Obſerv.* 51. \ §. A Subjecto non ſu-muntur differentiæ, quia ſemper eſt membrana narium interior. III.
Quoad cauſam efficientem, præcipuè differentiæ ſumuntur, à cauſa irritante facultatem expultricem membranæ. Hæc quoad ſpeciem eſt vel externa vel interna. Quæ cauſæ Procatarcticæ, vide Aph. 13 & 23. Sect. 3. Hippocratis, Celſum l. 1. c. 2. Platerum tr. 1. Prax. c 5. Item ſomnus diuturnus, diurnus, matutini exceſſus, me-ridiani uſus. Vigiliæ intempeſtivæ nocturnæ. Cibi frigidi & humidi, ſaliti & ſale nimium conditi, muſti vel cereviſiæ feculen-

tæ ulus &c. Quæ προηγούμενα sternutationis vide Doctissimi *Hollerii Comment. & Schol. in Aph. 51. Sect* 7. In qua tamen explicatione sunt non pauca, quæ merentur ad incudem revocari. Sed hoc, hujus loci non est, cum in antecedentibus exstet. Causa continens sive immediata est natura irritata quæ expellit, sive strictius uti secundum *Plempium l. c. l. 4. c.* 4. Soluta unitas est causa continens, morbi in soluta unitate, ita ipsa expulsio sternutationis. Hæc 2. quoad effectum est vel salutaris vel morbifica, ista, quæ agit tempestive, hæc si intempestive. Sternutatio quæ à causis externis ortum habet, per se manifesta est, eæq; causæ ex revelatione innotescunt, ita ut signis ad ejus cognitionem opus non sit. Verum enimvero cum causæ, à quibus excitatur, variæ sint, omnino signis opus est, quibus illæ cognoscantur, ne empiricorum more, cum ægri damno, cuilibet sternutationi, quodvis remedium applicetur. §. Ex-
112. terna & quidem manifesta istius nimiæ sternutationis fuit causa, quam L. Apulejus l. 9. Metamorph. recenset, ubi Pistor inquit: Contubernalis mei fullonis uxor, alioquin servati pudoris ut videbatur femina, quæ (semper) secundo rumore gloriosa, Larem mariti pudice gubernabat, occulta libidine prorupit in adulterum quempiam. Cumque furtivos amplexus obiret assiduè, ipso illo denique momento, quo nos lauti cœnam petebamus, cum eodem illo juvene miscebatur in venerem. Ergo nostra repente turbata præsentia, subitario ducta consilio, eundem illum subjectum contegit viminea cavea; quæ fustium flexu in rectum aggregata cumulum, lucinias circumdatas, suffusa candido fumo sulphuris, inalbabat. eoque jam, ut sibi videbatur, tutissime celato, mensam nobiscum secura participat. Interdum acerrimo gravique odore sulphuris juvenis inescatus atque obnubilatus, intercluso spiritu diffluebat: utque est ingenium vivacis metalli, crebras ei sternutationes commovebat. Atque ut primum è regione mulieris, pone tergum ejus maritus acceperat sonum sternutationis, quod enim putaret ab ea profectum, solito sermone *Salutem* ei fuerat imprecatus, & iterato rursum, & frequentato sæpius, donec rei nimietate commotus, quæ res erat, tandem suspicatur. Et, impulsa mensa protinus remotaque cavea, producit hominem crebros anhelitus ægre efflantem, inflammatusque indignatione contumeliæ, gladium flagitans, jugulare moriturum gestiebat; in respectu communi periculo vix eum ab impetu furioso cohibuissem; adseverans brevi, absque

noxa

noxa nostri, suapte inimicum ejus violentia sulfuris periturum. Nec suadela mea, sed ipsius rei necessitate lenitus, quippe jam semivivum illum in proximum deportat angiportum. Tamen uxorem ejus tacite suasi, ac denique persuasi, secederet paululum, atque ultra limen tabernæ ad quampiam tantisper familiarem sibi mulierem: quoad spatio fervens mariti sedaretur animus. § Interna & quidem occulta illius sternutationis fuit causa, qua mos invaluit, ut oscitanti aut sternutanti salutem apprecemur. Cujus moris *Athanasius Kircherus in scrutinio suo physico Medico contagiosæ luis, quæ dicitur Pestis, sect. 1. de caus. & effect. Pestis, p. 118.* hanc originem refert: Sub Agathonis Pontificatu, prodigiosæ pestis sævientis tempore, malus Angelus forma sensibili visus est domus contis impetere, tot funerum elatione, quot ictus dedisset foribus; & tanta fuit veneni exitialis efficacia, ut vel ad oscitationem aut sternutamentum homines conciderent exanimes; unde & ab eo tempore mos invaluit, oscitanti aut sternutanti salutem apprecari. *Idem*, hujus consuetudinis, hanc originem prodit: *p.* 412: Sub Gregorio Magno post immensam Tyberis inundationem, & congestam putrefactorum serpentum in littora multitudinem, 15. Ianuarii, teste *Gregor. Turon.* Lues inquinaria Romam invasit, immissa ex ira divina: Nam S. Gregorio teste, visæ sunt sagittæ cœlitus delabi in homines, iique mox peste improvisa percuti, quæ eadem primò S. Pelagium Papam confecit, cui cùm Gregorius Magnus successisset, pestisque modus non esset, sanctus Pontifex mox processionem sive Litanias septiformes instituit: in qua Deiparæ Sanctæ Mariæ Majoris à S. Luca depicta, ad Sancti Petri Basilicam delata est, & simul ac illa Pontem ad Molem Adriani pertigit, in signum reconciliati Numinis Sanctus Gregorius Angelum supra ipsam molem nudatum gladium in vaginam recondere vidit, eoq; symbolo morbum cessasse, intellexit, quemadmodum eidem per sagittas cœlitus fuerat præsignificatum; tanta autem fuit atrocitas, pestis, ut vel in ipsa processione multa millia hominum sola sternutatione caderent exanimes, unde postea mos inolevit, ut sternutanti salutem precarentur. Addit *Siffridus Chron. epit. à Fabric. excerpt p. 281.* Pestis inquinaria vero fuit apostema sive inflatura in inguine. Addit Fr. Ioel *l. c. Sect* 3. Olim cum per Christianum orbem sævissima lues epidemica grassaretur, circa ventriculos cerebri tumores abscessusque oboriebantur, unde statim vel in Apoplexiam incidebant aut prorsus extinguebantur. 114. §. Sternutatio quid, quoad formam, quoad subjectum, quoad causam efficientem & ejus speciem, & speciei affectum, partim ex antecedentibus, partim vero ex sequentibus patebit. 115. §. In foro nostro, gravedines & sternutationes in omnibus circa pulmonem morbis & antecessisse & succedere malum est. At in aliis morbis lethalissimis sternutationes prosunt: *Hipp. Prænot. t. 13.* item *Aph 49. Sect. 5. de Morb Mul. l. 1. t. 93 & l. 2 t. 43. Aph 35. S 5. Celsus l. 2. c. 8.* In morbis vero gravioribus & periculosis, si sternutationes etiamsi errhinis fortioribus exhibitis non sequuntur, Medici nostri, difficilem, ancipitem, vel nullam curationem fore prædicunt. Porro Sternutatio pauca bona est, copiosa irritationem majorem notat. Sternutationes duæ, tres, quatuor in sanitatis latitudine sunt bonæ, quia vasa mundificant, & robur naturæ indicant. Aliquando sternutationes sunt nimiæ, quæ etiam sistendæ, quia oculorum læsiones, scil. inflammationem

116. nem & alia mala accersunt, vide *Cel. Wedel, l. 2, sect. 2. c. 15. Amœnit.* §. Non porrigenda sunt Ptarmica pueris & infantibus, gravidis, tabe confectis, valde carnosis, plethoricis, aphtris, fracturis vel luxationibus costarum, pulmonum ulceribus, hæmoptisi laborantibus, herniosiis, nephriticis, hydropicis. Non exhibenda, quando pituita admodum tenax & viscida, & instar glutinis adhæret membranæ, nondum confecta, si sanguis ex arterioso aut venoso vase per nares fluit, aut etiam serum copiose & præter naturam. Quibus porrigenda haud difficulter jam constabit. Sequitur Curatio. §. Sedatur sternutatio nimia 1. Si inordinatus sanguinis motus tollitur, à quo deducitur istud, quare nonnulli, qui à Venere abstineant, conspecta pulchra muliere facile sternutent. 2. Si diaphorisis procuratur: nostri asserti fundamentum est *Cl. Willisii* pronunciatum, ab experientia petitum: *Sect. 1. c. 2. Pharm. Rat.* 3. Si diuresis non negligitur. Si fervor magnus acidiusculis, frigidis, compescitur, si aciditas humorum destruitur, si salsedo corrigitur. Quibus vero remediis, hujus loci non est. Sedatur sternutatio nimia ab Errhinis & Ptarmicis. Si interior narium cavitas munitur contra erosionem humorum acrium & vellicationem stimulantium, nempe demulcendo. §. Itaque postquam hæc in curatione sternutationes nimiæ ex Fonte Pharmaceutico observata sunt, & simul roborantia si opus non negliguntur. Ex Chirurgico vero venæsectio, cucurbitulæ, vesicantia, Ligaturæ, Frictiones extremorum, Frontis, Colli, Palluti, & alia. Ex Diætetico aër calidus: non frigidus, sed moderatus, purus non nebulosus, lucidus non fumosus, non humidis vaporibus repletus. Cibus, potus temperatus, ratione quantitatis frugalis; ita & somnus, juxta istud: jejunet, vigilet, sitiat, qui ῥεύματα curat. Motus non excedat modum, sed sternutaturus se parum ambulando moveat, sternutans calidum se contineat, & quieti se postmodum tradat. A Sale, à Balneo, à Venere abstineat. Alvus constipata sui officii admoneatur, urina, sudor, & quæ excernenda sunt, indies respondeant, & æger non desperet salutem, sternutationis nimiæ exoptatum speramus finem. §. Conclusioni annectimus votum: De causa Epilepsiæ inquit Hoffmannus: Novimus fuisse votum magni Cratonis, utinam ante vitæ suæ exitum aliquis ostendat. De modo, quo sternutamentum fit, idem plane voveo ego. & alibi: Sternutatio est opus tam mirabile, ut hactenus nemo vel Philosophorum vel Medicorum explicarit modum, quo fit. Attamen, pergit *Cel. Schneiderus libro sæpius citato* p. 443. annititur ut ipse vim rationemque sternutationis explicare videatur. §. Sic

117.

118.

119.

120.

- - *Nec meus audet Rem tentare pudor, cum vires ferre recusent.*

Et tu nihil invita dices facies ve Minerva, insuper: Natura pavoris est, ut omnia metuenti, præsentia maxime displiceant. Tamen quid tentare nocebit, & rem à pluribus non bene intellectam atque incertam, aggredi, diligenter inquirere, neque desistere, ita ut habeamus nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescamus. Itaque quis tam durus hanc nobis non daret veniam? neminem puto! Si non perfectio, at conatus tamen & adumbratio rei, quæ forsan limatioribus ingeniis, ad negotium hoc solidius excolendum ansam dabit. Impetraturi vero eo facilius, ut nobis ignoscat quicunque, quia sententiam, quæ magis rationi, & experientiæ, respondet, amplecti parati sumus. Et, *Hic teneat nostras anchora jacta rates.*

Soli Deo T. O. M. sit Laus, Honor & Gloria in sempiterna secula.